NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

COLLECTANEA

AD

BOTANICAM, CHEMIAM,

ET

HISTORIAM NATURALEM,

SPECTANTIA,

CUM FIGURIS.

VOL. III.

VINDOBONÆ,

EX OFFICINA WAPPLERIANA. 1789.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



I.

REV. FRANCISCI XAVERII WULFEN
PLANTÆ RARIORES CARINTHIACÆ.

Continuatio ad pag. 232. Vol. II. Collect.

CCXI.

EPILOBIUM ALPINUM.

Epilobium foliis oppositis sessilibus glabris subintegerrimis ovali - lanceolatis; caule subtrifloro, basi procumbente.

Epilobium foliis oppositis ovato - lanceolatis integerrimis, siliquis sessilibus, caule repente. *Linn. spec. plant. pag.* 495. *num.* 7. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *p.* 82. *num.* 701. *Gerard. galloprov. p.* 458. *num.* 7. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 280. *num.* 1021. *Oeder. flor. dan. tab.* 322.

Chamænerium alpinum alsines foliis. *Scheuchz. it. alp.* 2. *p.* 132. *num.* 28. tum *it.* 4. *p.* 332.

Epilobium foliis glabris ovatis. *Haller. hist. stirp. helv. tom.* 1. *p.* 426. *num.* 999.

Frequens in uliginosis riguis declivitatibus, etiam sylvaticis, ad radices alpium styriacarum Grünpichel supra Fladniz; inter omnes Epilobii spe-

cies (ne Rosmarinifolio quidem excepto) rarum & alpinum maxime. Radix dimidiam vix lineam crassa, teres, albida, repens, fibrillis demissis firmata, caulem, tres quatuorve pollices ut plurimum altum, attollit, simpliciſſimum, subteretiusculum, subtomentosum, basi duntaxat nonnihil procumbentem, demissisque ex infimis ejusdem geniculis radiculis, velut repentem, cætera erectum, foliis per septem, novemve conjugationes obsitum, oppositis, sessilibus, oblongis, ovali-lanceolatis, obtusis, planis, glabris, subintegerrimis (sunt enim interdum nonnulla repando-subcrenata) erecto-patentibus; infimis subrotundis, aut & obovatis in petiolum velut decurrentibus. Caulem terminat flos plerumque unicus, bini interdum, rarius terni haud multum ab invicem distantes; insidentes singuli germini elongato, erecto, subsessili, subcylindraceo, tomentoſulo; ex quo demum capsula siliquæformis, subcylindraceo-tetragona, glabra, quadrilocularis, quadrivalvis, polyſperma; valvulis a summo deorsum arcuato-dehiscentitibus; seminibus contra receptaculo elongato-tetragono leviter hærentibus, pappo piloso coronatis. Calyx superus, erecto-patens, tetraphyllus, primum tomentoſulus, tum glaber, corollis duplo brevior; foliolis obtuse lanceolatis, demum cadivis. Corolla majuſcula, tetrapetala, erecto-patens, petalis oblongo-obcordatis, ex rubro cæruleſcentibus. Stamina octo erecta, alba, calyce, non item & corollis longiora; antheræ oblongo-ovatæ, polline albido. Stylus staminum longitudine, filiformis, in stigma quadrifidum, crassiuſculum, & ipsum album abiens.

CCXII.

CCXII.

SPIRÆA SALICIFOLIA.

Spiræa foliis lanceolatis ferratis nudis, floribus duplicato-racemosis. *Linn. spec. plant. p.* 700. *num.* 1. *Gmelin. flor. sibir. tom.* 3. *p.* 188. *num.* 47. *tab.* 39.

Spiræa salicis folio longiore ferrato, floribus rubris. *Ammon. stirp. ruthen. p.* 186. *num.* 265. tum *p.* 188. *num.* 266. *tab.* 28. Varietas prioris, figura minus bona.

Spiræa Theophrasti forte. *Clus. hist. plant. p.* 84.

Nihil frequentius frutice hoc in districtu Gurcensi; inter Gurk & Weitensfeld; tum in omni Valle Gledniz. Floret Julio. Frutex statura hominis, & altior; sex octove pedum, erectus, ramosus, cortice nudo, ruso, foliis undique sparsis obsitus. Sunt vero folia ejusdem, salignis similia, subsessilia (plerumque enim brevi insistunt petiolo) lanceolata, serrata, nuda, erecto-patentia, supra saturate, albidius subtus viridia, nitoris expertia. Flores in thyrsos velut duplicato-racemosos collecti, non solum ramos terminant, sed & ex supremis foliorum axillis (quod nec Clusii, nec Gmelini, aut Ammani exprimit figura) enascuntur; stipes, sive axis thyrsiformium ejusmodi racemorum sub floribus brevis, nudus, erectus. Flores ipsi copiosissimi, singuli breviter pedunculati. Calyx inferus, pelviformis, nudus, limbo quinquepartito; lacinulis ovatis integris, patentibus. Corolla calyce duplo major, pentapetala; petalis integris, ovatis, rotundatis, dilute rubris, tandem albis, non tamen absque diluta rubedinis incarnatæ tinctura; patentissima. Stamina plurima, in fauce ca-

lycis fixa, corollis ipsis duplo longiora; filamentis subulatis, ex rubello magis magisque albescentibus; antheris parvis rubellis. Germen ovatum, rubrum, quinis saltem e capsulis compositum. Styli simplices tot, quot capsulæ, longitudine corollarum, albidius rubelli. Stigmata simplicia. Semina quavis in capsula plura.

CCXIII.

DAPHNE ALPINA.

Daphne floribus aggregatis subsessilibus terminalibus lateralibusque; foliis elliptoidicis, utrinque incano - pubescentibus.

Daphne floribus sessilibus aggregatis lateralibus; foliis lanceolatis, obtusiusculis, subtus tomentosis. *Linn. spec. plant. pag.* 510. *num.* 5. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 132. *num.* 483.

Chamelæa alpina incana. *Lobel. adverſ. p.* 158.

Chamelææ hirsutæ nomine data. *Joh. Bauh. l. p.* 569.

Thymelæa incana Mezerei folio & facie surculis admodum fragilibus. *Pluken. tab.* 229. *fig.* 3.

Chamelæa pumila saxatilis flore pallido Italica. *Barrelier. tab.* 234.

Thymelæa foliis ellipticis calvescentibus, floribus aggregatis, sessilibus, hirsutis. *Haller. hist. stirp. helvet. tom.* 1. *p.* 439. *num.* 1026.

Thymelæa candida. *Scop. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 277. *num.* 465.

Extra Salcanum via Carinthiaca ad pedem montis sancti florentem quondam inveni initio Maji, & amiciſſimo Scopolio Idriam misi, qui nondum viderat, & Linnæi charactere florum lateralium illusus, pro nova spe-

cie

cie ſub Thymelææ candidæ nomine propoſuit. Radix perennis, ligneſcens, brachiata, fibris vimineis lentis quaquaverſum diffuſis nixa, caulem profert pedalem, aut & cubitalem, digiti fere craſſitudine, teretem, ramoſiſſimum, quaquaverſum pariter diffuſum, cortice continuo, nudo, cineraſcente, manibus tractato fœtente. Folia non niſi ad gemmas terminales, lateralesque, eaqua plura (quatuor aut quinque) ſimul ex eodem velut exortu, ſubſeſſilia, in orbem erecto - patentia, oblongo - ſubovalia ellipticave, apice primum ſubacuta, tum obtuſa; etiam oblongo - velut obovata, baſim verſus velut in petiolum decurrentia; cæterum plana, integerrima, ex virore caneſcentia, utrinque villulis proſtratis albentibus pubeſcentia, per ætatem calveſcentia. Flores intra foliorum duntaxat roſulas terminales lateralesve, iisdem duplo breviores, breviſſimis inſiſtentes pedicellis ſive ſubſeſſiles, tres, quatuor, quinqueve ſimul, ſubumbellatim aggregati, etiam ſimplices ſolitarii. Calyx iis nullus. Corolla pedicello villoſo inſiſtens, infundibuliformis, infera, tubo ex ovata baſi cylindraceo, ſub fauce ſtrangulato; limbo quadripartito, laciniis patentiſſimis, ovato - acutis, integris. Eadem tota alba, & extus villis proſtratis pubeſcens, nec odora. Stamina octo, interno tubi parieti infixa, brevia, alba, alternis altioribus. Antheræ ſubrotundæ, flavæ, biloculares, quaternis in fauce corollæ declaratis; reliquis intra tubum corollæ occultatis. Germen in corollæ fundo ſeſſile, ovatum. Stylus breviſſimus. Stigma capitato - depreſſum.

CCXIV.

CCXIV.

GENTIANA NIVALIS.

Gentiana corollis quinquefidis infundibuliformibus; calycibus carinato-quinquangulis; ramis ex alternis axillis unifloris.

Gentiana corollis quinquefidis infundibuliformibus, ramis alternis unifloris. *Linn. ſpec. plant. p.* 332. *num.* 13. *Gerard. galloprov. p.* 310. *num.* 6. *Allion. flor. ped. tom.* 1. *p.* 98. *num.* 359. *Oeder. flor. dan. tab.* 17. *Jacq. enum. ſtirp. vindob. p.* 41. *num.* 11. *obſerv.* 17. *p.* 214.

Gentiana XI. minima. *Cluſ. hiſt. plant. p.* 316.

Gentianella fugax quinta Cluſii, flore cæruleo colore elegantiſſimo. *Joh. Bauhin. III. part.* 2. *p.* 527.

Gentiana minima. *Lobel. adverſ. p.* 130. *fig.* 131.

Gentianella fugax cærulea æſtiva minor. *Barrel. tab.* 103. *num.* 1 *&* 2.

Gentiana caule ramoſo, foliis ovato-lanceolatis, floribus infundibuliformibus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *p.* 287. *num.* 647.

Nuſpiam, quam in apricis ſummarum alpium paſcuis, Taureri Malnizenſis; Reichenavienſibus; Leontinis &c. Julio florens, in conſortio ſororum Gentianarum Pumilæ, Bavaricæ, & Vernæ, non tamen & cum binis poſterioribus in inferiora deſcendens. Nondum elegantiſſimæ ſtirpis hiſtoria elaborata ſatis, minus elimata videtur. Veteribus perbene cognita, attamen non niſi vagis, ut tum mos erat, minimeque ſyſtematicis, a magnitudine plerumque, aut ſimilitudine petitis, caracterizata notis, quid mirum, ſi, cum figuræ præterea, quibus illuſtrari debebat, minus eſſent bonæ, quid inquam mirum, ſi mox iis involveretur tenebris, ex quibus vel

Liu-

Linnæus in flora Lapponica eamdem desperaverit in lucem protrahere posse ? Synonymia eapropter, si non plane erronea, maxime certe dubia, reddebatur. Ex figuris, Oederianam si demam, justo majorem, omnes reliquæ Gentianam verius campestrem minorem Linnæi indicant, ut iis nil, nisi setoso - barbata desit faux. Ea Lobelii præterea, & quam tertio Barrelierus exhibuit in Tabula 103. loco, id etiam habet vitii, quod corollæ limbo sint quadrifido, quæ res in Nivali nunquam, in Campestri contra, & Amarella si non semper, frequentius tamen contingit. Radice est annua, gracili, filiformi - fusiformi, lenta, albido - subflavente, radiculis interdum compositis, brachiata, amarissimi saporis. Ex ea caulis exsurgit ab uno ad tres, vixque major, pollices, & ipse gracilis, ex tereti - angulosus, nudus, lævis, ex viridi subrubescens, ac demum obscure subcærulescens, erectus, apicem versus subnutans, pluribus interstinctus articulorum internodiis, rarius simplicissimus & uniflorus; plerumque ex alternis internodiorum axillis ramosus; ramis gracillimis, cauli simillimis, & approximatis, nec diffusis, & ipsis erecto - subnutantibus in partem alteram & eamdem, semper unifloris. Folia tam radicalia, quam caulina, ramorumque. Radicalia a quatuor ad octo, in rosulam, seu orbem erecto - patentia; reipsa & ipsa opposita, adeo tamen contigua, ut oppositio evanescat; hæc minora, oblongo - obovata, plana, lævia, integerrima, firmiuscula, saturate viridia. Caulina vero, ramorumque, non nisi ad articulorum internodia, opposita, sessilia, & basi fere connata, erecto - patentia, radicalibus cæterum similia, attamen angustiora, nec obtusa, imo lanceolata fere. Flos in caule singulisque ramis terminalis, in alteram subnutans partem. Calyx oblongus, æquabilis, tubo corollæ appressus, & minor, subcylindraceus, carinato - quinquangulus, semiquinquefidus, nudus, ex viridi subcærulescens; dentibus acutissimis, lineari - lanceolatis, integerrimis,

per oras, una cum carinis, ſaturatius nigro-cæruleſcentibus. Corolla infundibuliformi-hypocrateriformis; tubo cylindraceo, calycem excedente, albo, extra calycem etiam ſtriato, & aquoſe ſubcæruleſcente; limbo quinquepartito, in ſtellam patentiſſimo, coloris elegantiſſimi, cœleſtino-cærulei; foliolis ovato-lanceolatis, integris; fauce pervia, coronata lacinulis quinque ovato-acutis, erectis, cœleſtino-cæruleis, cum corollæ foliolis alternantibus, integris ſubbicornibusve. Stamina quinque, parieti tubi corollarum interno ſupra medium infixa, faucem haud attingentia; filamentis ſubulatis, albis; antheris oblongis, flavis. Germen ovali-oblongum, in ſtylum abiens ſpurium, ſeu revera apice attenuato-acuminatum; ſtigmate coronatum orbiculari, plano, bipartibili, albo, ſerrulato, faucis altitudine. Capſula teres, oblongo-ovalis, apice dehiſcens, unilocularis, polyſperma. Odor nullus.

CCXV.

ANEMONE VERNALIS.

Anemone involucro ſcapi uniflori multiſetoſo hirſutiſſimo; foliis pinnatis, pinnis latiuſculis, inciſo-lobatis; flore ſubnutante.

Anemone pedunculo involucrato; foliis pinnatis; flore erecto. *Linn. ſpec. plant. p.* 759. *num.* 4. *Oeder. flor. dan. tab.* 29. *Pollich. palat. tom.* 2 *p.* 92. *num.* 516. *Gunner. flor. norveg. tom.* 2. *p.* 88. *num.* 734. *Gerard. gallopr. p.* 379. *num.* 2.

Pulſatilla ſecunda alpina. *Dalechamp. lugdun. p.* 851.

Pulſatilla purpurea cæruleave. *Joh. Bauh. II. p.* 409. cum peſſimis figuris & foliis.

Pulſatilla Apii folio vernalis flore minore. *Scheuchz. it. alp.* 4. *p.* 339.

Ane-

Anemone tubis caudatis, involucris multifidis, foliis pinnatis, pinnis latis, lobatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 2. pag. 61. num. 1147. tab. 21.*

Anemone ſulphurea. *Allion. flor. pedem. tom. 2. p. 170. num. 1921.*

Anemone tubis caudatis, involucris multifidis, foliis hirſutis, pinnatis, pinnis acute lobatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 2. pag. 62. num. 1148.*

Anemone Halleri. *Allion. flor. pedem. tom. 2. p. 170. num. 1922. tab. 80. fig. 2.*

Planta ſemper alpina; frequens in Reichenavienſibus ad ſanctum Laurentium alpibus; tum in Leontinis quoque, flore ſubtus jam rubro, jam dilute cæruleſcente, ſupra ſemper albo, nec luteo. Stirpem numquam non alpinam, atque inter alpinas ſemper longe quam ſpecioſiſſimam illuſtrare hic intendo, ejus ut ex illuſtratione plurium tandem ſpecierum (quibuscum a nonnullis confuſa eſt) nedum plurium ejusdem ſpeciei varietatum (quas plures velut ſpecies nuperrimi propoſuere) certitudo evincatur. Linnæus illam Vernalem dixit Anemonem; eamdem omnino, quam Caſpar olim Bauhinus Pulſatillam apii (Celleri italorum ſeu Apium Graveolens L.) folii vernalem, majore, aut minore flore, compellavit. Sed Linnæus eidem, non ſane recte (ob puram Apii, quod & Carotam ſignificat, æquivocationem) junxit ex eodem C. Bauhino Pulſatillam luteam apii hortenſis folio, quæ teſte fratre Johanne III. p. 411. Pulſatilla eſt Dalechampii alpina lutea, non ſecunda, verum tertia; id eſt: Pulſatilla C. B. lutea paſtinacæ ſylveſtris (Dauci Carota L.) folio. Hanc, quamquam & Linnæus, & cum Hallero Allionius, reclamante natura, reclamante item, meis cum obſervationibus alpinis, Cluſio (hiſt. plant. p. 245.) cum Ane-

mone alpina ſeu ſylveſtri ſecunda Cluſii conjunxerint, ab eadem in 2. Miſcel. Jacq. Volumine p. 47. ſeparavi, ac cum Scopolio Apiifoliam dixi; dicturus jam tum (uti reipſa eſt) ſulphuream Linnæi, niſi in Mantiſſa I. Linnæus ſua cum ſulphurea Halleri Anemonem conjunxiſſet, quæ mera Anemones Vernalis varietas eſt, petalis ſubtus rubris, ſcilicet cum planta, cui medio in ſcapo ſetoſum, non foliaceum eſt involucrum. Sed hæc Anemones Vernalis varietas, quam Hallerus N. 1148. propoſuit, petalis ſupra luteis (ut Linnæus inquit) numquam eſt, ipſo id nuſpiam atteſtante Hallero! Eadem, inquam hæc Varietas, ſi jam Allionius ſulphuream L. qualis ad minus in Mantiſſa I. a Linnæo exhibetur, retinere voluit, cur a ſulphurea Linnæi per eumdem abſtracta, ſub novo Anemones Halleri, nomine recenſita fuit? an forſan a ſe ipſa diverſa ſit? Aut an vera ſulphurea Linnæi, id eſt, Camerarii, Johannis Bauhini, Cluſiique planta, una eademque cum Vernali Linnæi? Certo enim Allionius Anemones Vernalis L. nomen expunxit penitus, retentis tamen ejusdem ſynonymis, cum Sulphureæ nomine! Liceat nunc & videre, in quo demum Anemone Halleri N. 1148 ab ejusdem Anemone N. 1147. differat? Omnia in utraque non ſimillima modo, ſed eadem; ſic Hallerus, ſic & Allionius. Sed pinnæ in ea N. 1148. longiores! & acutæ magis! & profundius aliquantum inciſæ! & villus copioſior, albusque! Sunto; nonne calveſcunt in utraque demum? nonne & longiores illæ pinnæ, tamen non niſi inordinate ſemper, & nulla certa lege inciſo-lobatæ ſunt? Villum involucri dicis, petalorumque in inferiore eorumdem pagina breviorem eſſe in ea Nro. 1148. albæque adinſtar ſplendentem lanuginis! Scilicet prima in ætate, qui ultimo dein in ſenio flaventis adinſtar ſerici elongatus nitet. Num & coloris adhuc meminiſſe opus? Rubent in ea Nro. 1148. petala ſubtus, cum in altera illa ex albo-duntaxat purpuraſcant! Re interim vera tam in una, quam in altera ex albo primum purpuraſcunt magis

mi-

minusve, nunc in rubrum magis, alias magis in cæruleſcentem emorientia, dum fuſceſcant denique, villo denſe obducta ſericeo-flavente; hinc & recte Johannes Bauhinus Pulſatillam dixit purpuream cæruleamve, cujus & figuram meliorem dediſſet, ni factas jam emiſſet. Omnis itaque inter utramque diverſitas in plus duntaxat & minus recidit denique! & illud plus & minus non niſi varietatem, nec ſpeciem efficit diverſam. Hæc non reclamandi, minus contradicendi ſtudio, imo ſolius veritatis amore dicta volui; ut elegantiſſimas ſcilicet Anemones ſpecies, minus recte inter ſe a nonnullis permixtas, ab invicem extricarem, ſuaque ſingulis propria vindicarem ſynonyma. Anemonem fragiferam, ſive alpinam albam minorem C. Bauh. dum in altero Miſcellaneorum Jacquinii Volumine deſcripſi, jam tum (ut reapſe eſt) Baldenſem Linnæi dicturus eram, niſi Baldenſis a Linnæo in Syſt. Nat. Tomo 2. eas inter recenſita fuiſſet, quæ involucro ſetoſo, non foliaceo, præditæ ſunt, & a Scopolio cum alpina Linnæi, licet reclamarent ecaudata ſemina, conjuncta fuiſſet etiam; veraque Linnæi alpina novo ſub Burſerianæ nomine propoſita. Sic igitur de quatuor his ratione ſynonymiæ habeto: *Anemone alpina* L. cum ſynonymia a Jacquinio in Floræ Auſtriacæ Vol. I. p. 53. tradita. *Anemone apiifolia* ſeu ſulphurea Linnæi (eadem enim eſt) cum ſynonymis a me in Miſcellaneorum Jacquinii Vol. II. p. 47. datis; removenda ab iis, quæ apud Linnæum pedunculo ſunt involucrato. *Anemone fragifera* ſeu Baldenſis Linnæi (nihil enim differunt) ea cum ſynonymia, quam in Miſcel. Jacq. Vol. II. p. 55. &c. dedi, adjuncta præterea Anemone alpina Scopolii; removenda iterum apud Linnæum ab iis, quæ involucrato ſunt pedunculo. *Anemone* denique *Vernalis* Linnæi, cum ſynonymis a me ſupra aſſignatis. Hujus nunc deſcriptio eſt:

Radix perennis, ligneſcens, digitum auricularem craſſa, ſubfuſiformis, nonnumquam & brachiata præterea, aut fibris ſaltem comata vagis; nunc recta, alias oblique ad horizontem in terram deſcendens, uni - aut multiceps, extus fuſca, alba intus. Plurima ſingulis e radicis capitibus folia, quaquaverſum diffuſa, & ſubdecumbentia, eaqua ſimpliciter ſemper pinnata, baſi vagina ampla radicem amplexantia; axe pinnarum communi, villo albido - incano denſe obſito, ſupra canaliculato, ſubtus convexo, ſtriatoque. Pinnarum juga bina, trinave cum impare; pinnæ ipſæ ſeſſiles, craſſiuſculæ, & fere ſubcoriaceæ, planiuſculæ, ſupra ſaturate, aquoſe contra & obſolete ſubtus virides, villis mollibus & incanis interdum denſiſſime, parcius nonnumquam adſperſæ, magnam demum partem decalvatæ; earum figura incerta; univerſe oblongo - ſubovata dici poteſt, latiuſculæ tamen ſemper, & non raro ſubcuneatæ etiam; in varietate duntaxat altera elongatæ tantiſper magis; quales interea cunque, nunquam non inciſo - lobatæ; inciſurarum, loborumque, & lacinularum indole varia; illis jam profundioribus, jam minus profundis; his vero aut acutioribus, aut obtuſioribus; utrisque nunc pluribus, alias paucioribus; extimis ſæpe trifidis. Scapus ea inter folia ſimpliciſſimus recta adſcendit; brevior primum, tum ſpithama quoque altior, teres, farctus, dilute viridis, villis patentiſſimis albis denſe undique obſitus, paulo ſupra mediam altitudinem involucro multiſetoſo villoſiſſimo inſtructus; apice uniflorus. Setæ involucri in verticillum ordinatæ, elongatæ, erectæ, ſcapo approximatæ, anguſtiſſimæ, planiuſculæ tamen, ſupra nudæ, & virentes, ſubtus ſive dorſo fuſcæ, villisque longis, mollibus, primum incanis, tum ſericeo - flavis hirſutiſſimæ. Flos reſpective magnus, tantiſper nutans, nec, niſi matureſcentibus ſeminibus, erectus. Calyx nullus. Corolla hexapetala, erecto - patens; petalis æqualibus, oblongo - ovalibus ſive & ovato - lanceolatis, introrſum

ſum non nihil concavis, nudis, niveis; extus ex albo - purpuraſcentibus, purpura ut plurimum dilute cæruleſcente, rarius rubra. Eadem petala dorſo ſemper villoſa, villis jam copioſioribus, jam minus addenſatis; longiuſculis, mollibus, primum caneſcentibus, tum flavo - ſericeis, nitentibus. Stamina numeroſiſſima, plusquam dimidio corollis breviora; filamentis albis; antheris flavis. Germina itidem copioſiſſima, in capitulum ſupra receptaculum ovatum collecta, ſeſſiliaque, incano - villoſa, abeuntia in ſtylum elongatum, incano - villoſum ſub ſtigmate obtuſiuſculo, nudum. Semina longiſſime caudata, piloſa, pilis patentibus incanis. Odor nullus.

CCXVI.

RHAMNUS ALPINUS.

Rhamnus inermis, floribus dioicis; foliis ovali - lanceolatis, glanduloſo - crenulatis.

Rhamnus inermis, floribus dioicis; foliis duplicato - crenatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 280. *num.* 4. *Gerard. galloprov. p.* 463. *num.* 4. *Scop. flor. carn. 2. tom.* 1. *p.* 163. *num.* 261. (minus recte floribus hermaphroditis) *Allion. flor. pedem. tom.* 2. *p.* 131. *num.* 1767.

Rhamnus inermis, foliis ovatis, crenulatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *p.* 366. *num.* 823.

Alnus nigra baccifera, rotundiore folio, ſeu major. *Joh. Bauh. I. part.* 1. *pag.* 562.

Frequens ad radicem montis Loibl ex parte Neu Marktl; abundat & in Kankerthal alibique paſſim, florens Majo. Frutex ſeptem, octo, aut

aut & decem altus pedes, totus erectus, ramosusque, cortice est atro - rufo, glabro, punctis interdum niveis hinc inde cicatrizatus. Ramuli annui folioſi, virides, inferioribus suis, foliorumque in axillis, florum proferunt fasciculos plurium modo, alias pauciorum. Flores dioeci, nec unquam hermaphroditi; maribus a fœmineis tota stirpe sejunctis. Singuli proprio pedicello viridi, floribus longiore, nudo, demum nutante, instructi. Mas calyce viridi - flavente, ovato - campanulato, limbo tetragono, quadrifido, lacinulis planis, triangulis, tubo brevioribus, patentibus, demum reflexis. Corolla tetrapetala, aut si mavis corollæ loco, squamæ quatuor, cum calycis lacinulis alternantes, iisdem duplo breviores, erectæ, lineares, angustissimæ, apice inciso - bifidæ, filamenta staminum obvolventes, inferne flavo - virentes, sursum versus atro - rubentes. Stamina quatuor, angulis limbi seu faucis tetragonæ infixa, erecta, lacinulis calycis subæqualia, corollæ squamis duplo longiora; filamentis subulatis, concoloribus; antheris albido - flaventibus. Rudimentum styli subtrifidi atro - rubens, absque germine, in fundo calycis erectum. Floris fœminei calyx, ei maris simillimus, minus tamen fere amplus; corolla item, sive squamæ corollæformes, eædem; at stamina antherifera nulla. Germen in calycis fundo sessile, subgloboſum, nudum, stylo vix ullo, aut certe brevissimo, crassiusculo, subtrifido, stigmatibus obtusis. Bacca subrotunda, tandem nigra, nuda, trilocularis, subtrisperma. Folia utrique sexui in ramis annuis alterna, petiolata, primum ovato - lanceolata, tum ampla, oblonga, elliptico - seu ovali - lanceolata, utrinque nuda & glabra, supra saturate viridia & nitentia; subtus pallidiora & non nisi aquose virentia, nervis exstantibus oblique longitudinalibus percursa; cæterum integra, per marginum oras crenulata, glandulis in crenarum sinubus sessilibus.

CCXVII.

CCXVII.

RHAMNUS INFECTORIUS.

Rhamnus ſpinis annotinis, terminalibus; floribus dioicis, quadrifidis; foliis ovato - lanceolatis, repando - ſerrulatis; caulibus procumbentibus.

Rhamnus ſpinis terminalibus; floribus quadrifidis, dioicis; caulibus procumbentibus. *Linn. ſyſt. nat. p.* 178. *num.* 21. tum *mant. I. pag.* 49. *num.* 21. *Gerard. galloprov. p.* 462. *num.* 2. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 130. *num.* 1762.

Rhamnus Lycium. *Scop. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 163. *num.* 260. (minus recte florib. hermaphrod.)

Spina infectoria pumila I. *Cluſ. hiſt. plant. p.* 111.

Lycium gallicum. *Joh. Bauhin. I. part.* 2. *p.* 58. tum Rham. ſolutiv. pumil. Pan. prim. *pag.* 56.

Plurimus inter Kirſchentheur & Ferlach ad pedem montis Loibl; tum extra Prewald via, qua Goritiam itur, ad radicem montis Nanas in aſperis duris; floret Majo. Tanta apud nos inſcopia, nec uſui deſtinatus ulli! credebam equidem, quum primum inveneram, a Rhamno Saxatili Linnæi Jacquiniique diverſum haud eſſe, præprimis poſtea, quam in primo ſtirpium Auſtriacarum Volumine Jacquinius a floribus deſtitit hermaphroditis; & Hallerus (ſtirp. helv. hiſt. T. I. p. 366. Nro. 822.) Lycium Johannis Bauhini, cum ejusdem tam Rhamno Bavarico, quam Rhamno ſolutivo pannonico altero conjunxerat. At perpendens dein, corollis ſeu ſquamis corollæformibus ſaxatilem in fœmineo carere ſexu, foliaqne baſi eſſe attenuata (Jacq.) nec ex ovata duntaxat baſi lanceolata, & quod rei caput eſt, Clu-

ſium, judicioſiſſimum ejusmodi rerum æſtimatorem, inter Spinam infectoriam pumilam primam & ſecundam diſtinxiſſe; malui iterum more meo, diſtinguere potius, quam confundere. Frutex hic duarum triumve ſpithamarum longitudine, radice, ſolo duro rupeſtri, lignoſa, lenta, vage brachiata, ſub terra demergitur, arctiſſime intra rupium fiſſuras depacta; unde non niſi vi, neque integram, avellas. Telluris ultra ſuperficiem vixdum emergens, in ramos illico ramuloſiſſimos, & divaricatos, quaquaverſum procumbens effunditur; humile denſiſſimumque formans frutetum, ei pruni ſylveſtris, facie quam ſimillimum; ſpinisque ligneis, & duris adeo undique horridum, ut vix absque noxa & vulnere manum eidem uſpiam inferas. Sunt hæ, annotinorum ramulorum extimi apices in ſpinas durati, ſuperioribus annis terminales; nunc, poſtquam novi quotannis, novique ſuccreverunt ramuli, terminales ſimul, lateralesque. Cortice & hic eſt ex atro - rubente, lævi, demum fuſco, & cicatrizato. Eisdem e gemmulis annotinorum ramulorum complura ſimul folia, florumque faſciculi enaſcuntur; ſed floribus ſua ſede hærentibus, eadem folia per ſuccreſcentem ſerius tantiſper novellum & innocuum ramulum laxius inter ſe ſparguntur ordinata, ſitu partim alterno; ſuntque oblongo - ovata, ſeu verius ex ovata baſi lanceolata, breviter petiolata, glaberrima, oris repando - ſerrulata, ſaturatius ſupra, infra aquoſius viridia, ſtipulis ſuffulta lineari - ſubulatis, anguſtiſſimis, cadivis. Flores ſemper diclini, nec hermaphroditi aut polygami; ſinguli ſuo e pedunculo gracili, longiuſculo, nudo, nutante. Calyx utrique ſexui idem, mari duntaxat tantiſper amplior; cæterum luteolus, tubuloſo - ſemiquadrifidus; tubulo ovato - campanulato, fauce hiante tetragona, laciniis limbi tubulo æqualibus, plano - trigonis, patentiſſimis, demum reflexis. Corolla itidem utrique ſexui eadem; quatuor ſcilicet ſquamulæ calyce duplo breviores, lineares, anguſtiſſimæ, inciſo - bifidæ, luteolæ, fauci

in-

inter duas quasque calycis lacinulas, normaliter inſertæ. Stamina mari quatuor, laciniis limbi nonnihil altiora, ſitu cum ſquamulis corollæ eadem; filamentis ſubulatis, antheris albido - luteolis. Fœminæ nulla, aut antheris caſtrata. Spurium de medio calycis maſculi fundo, ad ejusdem tubuli exaltatur altitudinem, piſtillum, quod procul dubio Scopolio illuſerit, ſtylus ſcilicet macer, absque germine, aut certe abortiente, terminatus apice ſtigmate bifido, quandoque & trifido, reflexo. Replet contra fœmineum calycem in eodem ſeſſile, ſubgloboſumque & nudum germen, brevi craſſoque faſtigiatum ſtylo, bina trinave in ſtigmata reflexa partito. Illud magis magisque maturatum, in baccam abit denique nigram, obovatam, trilocularem, bi - aut triſpermam.

CCXXVIII.

CERASTIUM ALPINUM.

Ceraſtium foliis ovato - lanceolatis; caule dichotomo, ſubtrifloro; capſulis oblongis, cylindraceo - incurvis, decemdenticulatis.

Ceraſtium foliis ovato - lanceolatis; caule diviſo; capſulis oblongis. *Linn. ſpec. plant. p.* 628. *num.* 8. *Gunner. flor. norv. II. p.* 32. *num.* 438. *Allion. flor. ped. II. p.* 116. *num.* 1726.

Myoſotis foliis ovato - lanceolatis ſubhirſutis; petalis calyce duplo longioribus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *p.* 389. *num.* 888.

Caryophyllus holoſteus alpinus latifolius. *Oeder. flor. dan. tab.* 6.

Centunculus alpinus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 321. *num.* 550.

Alſine myoſotis foliis ex ovato - acuminatis, flore calycem excedente. *Gmelin. flor. ſibir. tom.* 4. *p.* 150. *num.* 52.

Creſcit plantarum pulcherrima perquam copioſe in apricis graminoſis alpium Reichenavienſium prope Petaunerſee &c. media inter rariſſimas alias, Phacam auſtralem, Tozziam alpinam &c. floretque Julio, inodora. Gracilis, nec eo minus perennis ejusdem radix, repens ſub terra diſcurrit, teneris per intervalla nixa radicalis, ad ſuperficiem telluris ceſpitoſe multiceps ac multicaulis. Foliorum idcirco radicalium roſulæ, aut ſphæroidico-conniventes, aut ſemi duntaxat hiantes, confertum in ceſpitem aggregatæ, ſolum inſternunt, eminus jam niveis, quibus ſtipatiſſime obducuntur, pilis dignoſcendæ. Certe enim, quamvis ultima demum in ætate dejecto caveſcat villo, in recente tamen, florenteque adhucdum, ita ſtirps omnis caule, foliisque, pilis copioſiſſime obſita eſt mollibus, longis & albis, ut effugere prætereuntem haud poſſit. Caulis plerisque e roſulis enaſcitur unicus, baſi ſubprocumbens, inde normaliter ad ſpithamæ usque altitudinem & ultra erectus, teres, articulis conſtans quatuor aut quinque, villis primum totus denſe obſitus longiuſculis, albis, patentibus, apice (apud nos plerumque) ex dichotomia biflorus, aut certe, velut ex umbella triflorus, flore intermedio altiore; nonnumquam tamen & uniflorus duntaxat; attamen bis-terque dichotomum (ut cum Oedero Hallerus) noſtris ſaltem in alpibus nondum vidi. Folia in caule non alia, quam ad articulorum genicula, ac ſub dichotomia terminali; eaque oppoſita, & ſeſſilia; radicalia contra plura, in roſulas meris ex oppoſitionibus ordinata; roſulis primum ſubſphæroidico-conniventibus, tum erecto-patentibus. Tam hæc, quam illa, oblonga, ex ovatâ baſi lanceolata, obtuſa, integerrima, utrinque denſe villoſa, villis longis, niveis, ſuberectis, demum cadivis. Flores ſat magni, longiuſcule pedunculati. Calyce pentaphyllo, foliolis lanceolatis, erecto-patentibus, primum albo-villoſis, tum ſubnudis, viridibus, per oras membranaceo-albentibus. Corolla calycibus duplo major, ni-

nivea, erecto - patens, pentapetala; petalis ſtriatis, ſat profunde obcordatis. Stamina decem calycis altitudine, alternis brevioribus. Filamentis ſubulatis, albis; antheris oblongis, flavis. Germen oblongo-ovatum, nudum. Styli quinque albi, antherarum longitudine; ſtigmata obtuſa, incurva. Capſula cylindracea, cornu inſtar nonnihil incurva, oſculo hians decemdenticulato, unilocularis, polyſperma.

CCXIX.

STELLARIA BULBOSA.

Stellaria foliis lanceolato - ovatis; caule ſubdichotomo; pedunculis elongatis, unifloris; radice repente, bulbifera.

Triginta prope ſunt anni, rariſſimam quod ſtirpem Labaci *unterm Thurm* in foſſa quadam limoſa, verſus Aprilis finem, Majique initium, florentem inveni, nec deinceps uſpiam alibi. Multos abinde ignorata jacuit annos in ſicco herbarum mearum horto, ſua cum deſcriptione; oblivioni forſan danda porro, niſi, fugitivas nuper cum chartulas excuterem meas, forte accidiſſet, ut in eamdem inciderem. Rara vel rariſſimas inter, cur diutius lateret? Scripſi ergo ad illuſtriſſimum de Zoys Labacum, rogavique, easdem ut ne quantocyus ad me florentem transmittere gravaretur; qui pro ea, qua in me benevolentia, & in botanicen eſt ſtudio, eodem eandem quæſivit, invenitquo loco & tempore, ac cum pluribus aliis, non minus raris (Saxifraga bronchiali, Geranio argenteo, Alyſſo gemonenſi &c.) illico transmiſit pingendam. Quin & poſterioribus ſignificavit litteris, eamdem Stellariam hanc, quæ unico hactenus a me inventa fuerat loco, copioſiſſime nunc a ſe, una

cum Pediculari acaule, prope arcem Rottmansdorf *auf der Gemeinde im feuchtem Grund, unter dem Gebüſche, im Schatten,* inventam fuiſſe; perinde, ac quam unice ad antrum olim Unzii, haud procul Hasberga legeram Saxifragam petræam, abundantiſſime una cum Arabide Ovirenſi, rupes habitare illas, quibus Crainburgum, ſupra Savum amnem, ſuperſtructum eſt. Hæc eo commemoravi fine, ut, quibus ſingulas has locis ſtirpes invenire poſſint, ſciant poſteri. Ad Stellariam jam redeo noſtram, quam nec a Linnæo, nec ab Hallero, aut alio quoquam recenſitam video, ac in qua id ſane mirum maxime, bulbillos ſarmento concatenatos quod radicis habeat loco! ſunt hi totidem velut raphanelli, ſive napuli, fungoſo - carnoſi, ab invicem remoti, extus dilutiſſime luteoli, intus albi, ſarmento communi terete, nudo, albo, horizontaliter ſinuoſeque ſerpente concatenati. Eorum figura oblongo - ut plurimum obovata eſt; capite, quo repenti nectuntur viticulæ, admodum interdum craſſo, aut & ſubgloboſo etiam; fine contra altero magis magisque ſuſi adinſtar attenuato, & in fibrillas denique ramoſas, tenerrimas, quaquaverſum diffuſas, abeunte. Caulis infirmus, gracilis, teres, articulatus, viridis, leviſſime pubeſcens, raro ſpithamalis, non tam ipſis ex bulbillis quam e ſarmento verius, in aliqua ab illis diſtantia, enatus, e decubitu velut aſcendit ſubdichotomus, ſeu apice uni- aut biflorus, longis e pedunculis, pedunculo altero circa medium bifolio. Folia ad articulorum duntaxat genicula, oppoſita, pro ratione plantæ ſat ampla, ſubſeſſilia, lanceolata, aut & lanceolato - ovata, in petiolum velut decurrentia, integerrima, admodum tenera & ſubtilia; ſupra læte virentia, & villulis microſcopicis pubentia, ſubtus aquoſiora & nuda; infimis binis, ubi radicale ſarmentum in caulem degenerat, minoribus, obovatis ſubpetiolatis. Pedunculi quoque ſimpliciſſimi, elongati, & uniflori, aut & ramuli interdum, alternis e foliorum axillis, primum erecti,

tum

tum matureſcentibus ſeminibus nutantes; iis denique elapſis, rurſum ſurrecti. Calyx pentaphyllus, foliolis lineari - lanceolatis, pubeſcentibus, ſupra concavis, dorſo haud ſtriatis. Corolla pentapetala, petalis calyce tantiſper longioribus, obcordatis, niveis. Stamina decem, calycis longitudine, alternis paulo brevioribus; filamentis ſubulatis, albis; antheris ſubrotundis, didymis, primum rubris, tum nigris. Germen globoſum, nudum, in calycis fundo ſeſſile. Styli interdum duo, plerumque tres (ſemel quatuor inveni) antherarum altitudine, albi, ſtigmatibus ſimplicibus, obtuſiuſculis. Capſula unilocularis, oblongo - ovata, tum matureſcentibus ſeminibus baſi ventricoſior, apice vero depreſſa, ambitu reliquo toroſo - gibbo; tandem in valvulas lanceolatas bis tot, ac ſtyli (4 aut 6) ab apice ad baſin dehiſcens, effuſis ſeminibus, patentiſſima. Semina majuſcula, ſubrotunda, rugoſo - puſtulata, aquoſe fuſca ſive dilute bruneſcentia, duo quatuorve, reliquis abortientibus.

CCXX.

VERONICA BELLIDIOIDES.

Veronica racemo terminali ſubcorymboſo; caule ſimpliciſſimo adſcendente, una cum foliis per intervalla oppoſitis, oblongo - obovatis, capſulisque, hirſuto.

Veronica corymbo terminali, caule adſcendente diphyllo. *Linn. ſpec. plant. p.* 15. *num.* 11. *Gerard. galloprov. p.* 323. *num.* 5. *Allion. flor. ped. tab.* 1. *p.* 74. *num.* 267.

Veronica alpina bellidis folio hirſuta. C. B. *Scheuchz. it. alp.* 1. *p.* 51.

Ve-

Veronica caule ſimplice paucifloro, foliis ſcabris, ovatis, ſerratis, ſpica pauciflora. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 1. *p.* 235. *num.* 543. *tab.* 15. *fig.* 1.

Plerisque noſtris in alpibus excelſioribus frequens; ſæpe una cum Veronica ſaxatili, a qua longe diverſiſſima; ſic in alpibus Fladnizenſibus, Folkartenſibus, Ovirenſibus, Melnikenſibus, tum & in Schlenizenſibus, ac Sau-alpe &c. Radix perennis, teres, ſubligneſcens, extus ſuſca, oblique ſarmenti inſtar horizontaliter repens, demiſſisque recta ſecundum omnem longitudinem frequentiſſimis fibris, ſeu radiculis firmata, ad ſuperficiem terræ copioſa inter folia, meris ex oppoſitionibus compactam in roſulam, ordinata, caulem fere ſpithamalem, educit ex decubitu velut aſſurgentem ſimpliciſſimum, teretem, firmum, cum tempore ſubligneſcentem, obſcure viridem, & ex viridi demum obſcure ſubcæruleſcentem, denſiuſcule villoſum, tribus per intervalla foliorum oppoſitionibus interſtinctum, apice in florum racemum brevem, denſe ſtipatum, & ſubcorymboſum abeuntem. Folia tam radicalia, quam caulina oblongo-obovata, velut in petiolum decurrentia, craſſa, firma, ſubcoriacea, per oras crenulata, obſcure viridia, utrinque denſe villoſa, erecto-patentia. Racemus florum terminalis, erectus, brevis, prima non niſi in ætate ſubcorymboſus, floribus ſimpliciſſimis, tum præciſe ad eamdem fere altitudinem adſcendentibus, breviter pedunculatis, erectis, cauli approximatis, ſtipate addenſatis. Bractea cuivis flori ſubjecta, ejusdem pedunculo tantillo longior, oblongo-ovata, utrinque una cum pedunculo villoſa. Calyx quadripartitus, erecto-patens, foliolis oblongo-ovatis, hirſutis ſive denſe villoſis, obſcure viridibus, & ex virore obſcure cæruleſcentibus. Corolla rotata, plusquam ſemiquadrifida; tubulo brevi, albo, annulari; limbo ere-

erecto - patente, quadripartito, laciniis saturate cæruleis, subæqualibus, rotundato - ovatis, integerrimis, quarta non nihil angustiore. Stamina duo corollis non nihil breviora, filamentis obverse subulatis, divergentibus, cærulescentibus; antheris itidem cærulescentibus, polline albo. Germen in calycis fundo sessile, ovatum, villosum. Stylus staminibus altior, teres, cæruleus, lævis, declinatus; stigma capitato - umbilicatum, superne album. Capsula oblongo - ovalis, tumidiuscula, erecta, cauli approximata, apicem versus nonnihil compressa, apice ipso crena brevi acuta incisa, villosa, extus sulco longitudinali, diaphragmati respondente, utrinque exarata; bilocularis, quadrivalvis, polysperma.

CCXXI.

VERONICA SAXATILIS.

Veronica racemo terminali subcorymboso; foliis oppositis subovatis glabris crenulatis; caulibus fruticulosis perennantibus; annuis ex decubitu erectis, una cum calycibus, capsulisque integris, tomentosulis.

Veronica corymbo terminali, foliis oppositis, glabriusculis, pedunculis folia floralia superantibus. *Linn. syst. pag.* 59. *num.* 16. *Oeder. flor. dan. tab.* 342. *Gunner. flor. norv. II. p.* 103. *num.* 829. *Allion. flor. pedem. I. p.* 74. *num.* 268. *Jacq. enum. p.* 2. *observ.* 1. *Schrank. flor. bercht. p.* 159. *num.* 5.

Veronica tertia fruticans. *Clus. hist. plant. p.* 347.

Veronica saxatilis. *Joh. Bauh. III. part. p.* 284. *Scop. flor. carn.* 2. *p.* 11. *num.* 9.

Veronica minor alpina ſerpilli folio. *Pona apud Cluſium p. CCCXXXVII.*
Veronica alpina fruteſceus. *Scheuchz. it. alp. I. p.* 51. tum *it. VI. p.* 462.
Veronica. *Scheuchz. it. alp. V. p.* 428. cum erroneis ex Pona & Joh. Bauh. citationibus Pæderotæ Bonarota.
Veronica alpina fruticans. *Pluken. tab.* 232. *fig.* 5. *&* 6. cum peſſimis figuris.
Veronica caulibus fruticoſis declinatis, foliis glabris ellipticis dentatis, floribus in vertice confertis, petiolatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *p.* 235. *num.* 545. *tab.* 16.
Veronica fruteſcens. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 19. *num.* 20.

Frequentiſſima per omnes Norici alpes, nec minus elegans planta. In ſocietate vegetat Veronicæ Bellidioidis in alpibus Folkartenſibus, Fladnizenſibus, Vochinenſibus, & Eberſteinenſi Sau-alpe. Cum Veronica vero aphylla, in alpe Bleybergenſi *auf dem heiligen Stein*, in alpibus klein Kircheim &c. Denique & cum Veronica alpina, Fragantenſibus in alpibus, Leontinisque &c. A ſingulis longe quam diverſiſſima, ut ut cum poſtrema, Linnæus quondam conjunxerit, a Jacquinio de utriusque demum diſcrimine edoctus. Ter ejusdem Scheuchzerus meminit; ſed quod in quinto itinere, loco citato, cum Veronica Ponæ petræa ſempervirente (quæ indubie Michelii Bonarota eſt) confuderit, haud placet; minus adhuc, quod in duas eamdem dilaceraverit Scopolius. Scio humilioribus ſubalpinis natam locis, ſimpliciore, magisque procero aſſurgere caule, & flore aut incarnato, aut albo eſſe, at hæc, ut jam Hallerus obſervavit, non ſpeciem ſundant, ſed varietatem conſtituunt. Radix eidem, quam Bellidioidi, gracilior quidem, magis tamen in lignum abiens, perennis & ipſa, jam recta in terram deſcendit, jam non niſi oblique, aut horizonti parallela, ſerpit, ſpar-

ſparſis ſemper nixa radiculis. In eo illi cum Alpina magis, quam cum Bellidioide, convenit; quod non, ut iſta, unicum modo in caulem continuata abeat, verum ut illa (quidquid de alpina in contrarium dicat egregius Haënke) jam ſub terra in plures diviſa ramos, plures quoque proferat caules; & ipſos perennantes, ligneſcentes, humi procumbentes, novis iterum fibrillis radicatos; qui uno quotannis plures caules annuos aut ſi malis ramos ſimplices attollunt, pluribus ex articulis geniculatos, apice in ſimplicem abeuntes racemum, floreſcentiæ tempore, non item & ſerius, cocorymboſum. Ut autem veteres illi annotinique caules, fruticuloſi, ligneſcentes, aphyllique ſunt, ſic, quos annuos dicimus, ex viridi magis, magisque rubeſcunt herbacei, teretes, villo exiliſſimo, demum cadivo, tomentoſuli, foliis ad ſingula articulorum genicula obſiti oppoſitis, ſubovatis, ſeſſilibus, craſſiuſculis, firmis, glabris, erecto-patentibus, obiter ut plurimum crenulatis, aut & ſubintegerrimis. Racemus florum a 4 ad 7, terminalis, initio & floreſcentiæ tempore corymboſus; floribus exinde non amplius ad eamdem aſſurgentibus altitudinem; flores ipſi majuſculi; ſinguli pedicellati, pedicello gracili ex villulis tomentoſulo, obſcure ſubcæruleſcente, ex axilla bracteolæ lineari-ovatæ, eamdem longitudine excedente, orto. Calyx quadripartitus, foliolis lineari-ovatis, corolla minoribus, ex villulis exiguis, cadivis, tomentoſulis. Corolla majuſcula, rotata, tubulo brevi, inſtar annuli cylindracei, albo, ad faucem interdum ſanguineo-rubro; limbo quadripartito, patentiſſimo, laciniis amplis, ſubæqualibus (quarto non nihil minore) rotundatis, integerrimis, ſaturatiſſime cæruleo-violaceis, ſtriatis, interdum & rubro-incarnatis, aut & albis. Stamina duo, corollis breviora: filamentis obverſe ſubulatis cæruleſcentibus; antheris cæruleis, polline albo. Germen ovatum, pubeſcens; ſtylus antheris altior, filiformis, cæruleſcens, ſtigma capitato-depreſſum, ſuperne albens.

Capſula (qua nota ab alpina & bellidioide ſemper differt) oblongo - ovata, integra, ex villulis cadivis tomentoſula, bilocularis, quadrivalvis, polyſperma.

CCXXII.

VERONICA APHYLLA.

Veronica corymbo terminali paucifloro; ſcapo, foliisque radicalibus ovatis, hirſutis.

Veronica corymbo terminali, ſcapo nudo. *Linn. ſpec. plant. p.* 14. *num.* 10. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 10. *num.* 8. *Jacq. enum. p.* 2. *num.* 9. *Gerard. gallopr. p.* 323. *num.* 4. *Allion. flor. pedem. tom.* 1. *p.* 74. *num.* 266. *Schrank. flor. berchef. p.* 159. *num.* 4.

Teucrium minimum. *Cluſ. hiſt. plant. p.* 350.

Veronica parva ſaxatilis, cauliculis nudis. *Seguier. veron. tom.* 1. *p.* 241. *tab.* 3. *fig.* 2. *& tom.* 3. *p.* 116. *num.* 1. *Plukenet. phyt. tab.* 114. *fig.* 3. *Scheuchz. it. alp.* 1. *p.* 51.

Veronica caule nudo, foliis ovatis, ſerratis, racemo paucifloro. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *pag.* 234. *num.* 541.

Non niſi in ſummis alpium jugis, ibique frequens, Veronicæ non raro alpinæ L. intermixta, a qua diverſiſſima, ſic in alpibus Taureri Malnizenſis, in Lithopolitanis, in Bleybergenſibus *am heiligen Stein.* In monte ſancto Luſcharienſi prope Tarviſium; tum in Leontinis, Vochinenſibus &c. Radix admodum gracilis, nihilo tamen minus perennis, copioſis perſæpe fibrillis comata, in plures ſub terra ramos, velut totidem ſtolones breves, ite-

iterato radicatos, diviſa, & hinc multiceps; ſingulis e capitibus inter folia ſex octove, tribus quatuorve ex oppoſitionibus in roſulam ordinata, ſcapum pollicarem unum (aut & duos interdum) attollit, baſi plus minus decumbentem, ſubradicatumque fibrillulis. Is admodum & ipſe gracilis, teres, ex viridi tandem nigro-cæruleſcens, villis liberaliter undique, nullis tamen plerumque (adſunt quandoque paulo ſupra baſin, duo, quatuorve conjugata) obſitus foliis, in pauperem duorum, triumve, aut & quatuor florum corymbum, ſive racemum corymboſum terminatur; floribus ex axilla bracteolæ linearis & hirſutæ, longius pedicellatis ad unam omnibus altitudinem aſſurgentibus. Pedicelli tenerrimis, colore & hirſutie ſcapi, bracteolis, & calycibus longiores, florem ſinguli reſpective magnum attollunt unicum; cui calyx quatuor in lacinias, ſive foliola plana, lineari-ſubovata, hirſuta, ad baſim usque diſſectus, tubulum, non vero & limbum corollæ excedens, erecto patet. Corolla majuſcula, rotata, patentiſſima, ſaturate interdum cærulea, ut plurimum tamen non niſi aquoſe & obſolete, venis picta ſaturatioribus, brevi, ut hac in gente, cadiva; tubulo ejusdem brevi, albo, cylindracei adinſtar annuli, limbo contra in quatuor profundiſſime ſecto ſegmenta rotundata integra ſubæqualia, quarto tantiſper minore. Stamina duo divergentia corollis breviora; filamentis obverſe ſubulatis albido-cæruleſcentibus; antheris albido-luteolis. Germen ovatum, pubeſcens. Stylus filiformis cæruleſcens, ſtaminibus altior; ſtigma capitato depreſſum, apice album. Capſula calyce multo major, omnino oblongo-obcordata, apicem verſus compreſſa, pubeſcens, bilocularis, quadrivalvis, polyſperma. Folia radicalia (& ſi quæ caulina interdum) ſubrotundo-obovata, non dura, nec rigida, oris crenulata, utrinque hirſuta, ſeu villis obſita, meris ex oppoſitionibus compacta, in petiolum ſubdecurrentia.

CCXXIII.

CYNOGLOSSUM CHEIRIFOLIUM.

Cynogloſſum corollis ramoſo - venoſis, calyce duplo longioribus, patentiſſimis; foliis lanceolatis, incano - villoſis.

Cynogloſſum corollis calyce duplo longioribus, foliis lanceolatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 193. *num.* 3. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 125. *num.* 193. *Allion. flor. pedem. tom.* 1. *p.* 50. *num.* 171.

Cynogloſſum Creticum II. *Cluſ. hiſt. plant. pag. CLXII. Joh. Bauh. III. pag.* 601.

Menſe Majo in finem vergente, Junioque copioſe florentem inveni Tergeſti retro Lazareto Sporco, tum abundantiſſime in monte, per quem Obzina Tergeſtum deſcenditur. Aut Cynogloſſum Creticum I. Cluſii, ab ejusdem Cyn. Cret. II. non differt Specie, aut certo Cynogloſſum Cheirifolium Linnæi non tam illud Primum, quam Secundum verius Cluſii eſt. Quæ plantæ Tergeſtinæ exemplaria, ſolo humili duro lapidoſo retro Lazareto Sporco collegi, ratione foliorum anguſtorum, lineari - fere lanceolatorum, figuræ Cluſii primæ congruebant adamuſſim; at quæ dicto in monte plurima propter viam occurrunt, argilloſo magis ſolo, ita figuræ illi Cynogloſſi cretici ſecundi erant quoad omnia ſimilia, ut non poſſent magis. De eo alii ut tanto arbitrium ferant facilius, hanc plantæ meæ viſum eſt deſcriptionem dare. Radix biennis, fuſiformis, digitum auricularem craſſa, fibris rariter ſparſis obſita, alba, cortice extus fuſco obducta, caulem ultra duas ſpithamas altum attollit, teretem, ſubanguloſum, farctum, ex foliorum axillis, præprimis ſuperioribus, ramoſum, incano - viridem, & villoſum

ſum. Folia obtuſiuſcule lanceolata, integerrima, molliter utrinque villoſa, incano - virentia, colore Cheiranthi incani, anguſtiora foliis Cynogloſſi officinalis, quandoque etiam lineari - duntaxat lanceolata; radicalia longiuſculum in petiolum decurrentia; caulina ſeſſilia, ſemperque auriculis nonnullis (etſi nonniſi parvis interdum) rotundatis, liberis caulem ſemiamplexantia, ſubtiliterque decurrentia per eumdem; unde ejusdem anguloſa ſuperficies. Rami cauli ſimiles ſimpliciſſimi erecti, ipſi quoque inferne folioſi, apicem verſus aphylli, incano - tomentoſi, floribus ſecundis, pedicellatis, ebracteatis in racemum, Heliotropii inſtar ſummo in faſtigio incurvum, ordinatis. Calyx pedicelli fere longitudine, quinquepartitus, laciniis obtuſe lanceolatis, integris, utrinque villoſis, tandem patentiſſimis. Corolla infundibuliformis, tubo cylindraceo brevi, albido, venis obſcure cæruleſcentibus dicto, limbo calycem excedente, patente, quinquepartito, ſegmentis rotundatis, integerrimis, primum ex albido dilute rubellis, venis ſubdichotomice ramoſis rubris at demum cœleſtino - cæruleis, venis iisdem nigro - violaceis pictis. Faux clauſa ſquamulis quinque ovatis erecto - fornicatis conniventibus violaceo - nigris, per oras albo - villoſis. Stamina quinque, interno tubi parieti infixa, ſquamulis faucis occultata, filamentis breviſſimis albis; antheris polline flavente. Germina quatuor in calycis fundo ſeſſilia, baſi ſtyli cohærentia, depreſſo - convexa hiſpidula. Stylus perſiſtens, ſubulatus, ſtaminum altitudine; ſtigma ſimplex, truncatum, an & emarginatum? Semina quatuor, ſubovata, glabra, obducta arillis totidem hiſpidis, echinato - hamoſis, ſeu uncinatis.

CCXXIV

CCXXIV.

AIRA SPICATA.

Aira foliis planis, panicula ſpicata, floſculis medio ariſtatis, ariſta reflexa laxiore. *Linn. ſpec. plant. pag.* 95. *num.* 7. *Gunner. flor. norveg.* 2. *p.* 28. *num.* 422. *Allion. flor. pedem. I. p.* 243. *num.* 2190. *Oeder. flor. dan. tab.* 228. figura minus bona.

Avena diantha, panicula denſe ſpicata. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II. p.* 231. *num.* 1490.

Gramen avenaceum paniculatum alpinum humile, locuſtis in ſpicam collectis varicoloribus, ariſtatis. *Scheuchz. agroſt. pag.* 221. *fig. tab. append.* 6.

Summis alpium (ſupra Fladniz) in jugis; locis apricis, humili gramine veſtitis. Radix gracilis, perennans, filiformi - fuſiformis, radiculis fibrilloſis tenerrimis capillata, albida, uni - aut & multiceps; ſingulis e capitibus, copioſa inter folia, culmum, duos, tresve, aut & quatuor pollices altum effert tenerrimum, teretem, glabrum, duobus tribusve articulis interſtinctum, totidemque vaginantibus involutum foliis, apice ſpica florum brevi, ſubpaniculata, ſtipate addenſata terminatum. Folia omnia plana, lineari - lanceolata, obtuſiuſcula, glabra, radicalia caulinis breviora, atque ea inter, annotina ſemitabeſcentia, culmorum baſin, ſquamorum inſtar imbricantia, radicalesque Halleri bulbillos mentientia. Caulina longis culmum ad gemiculorum nodulos vaginis involventia, ubi ab eo diſcedunt, membranula brevi alba diaphano eumdem ſtringunt. Brevi denſeque villoſum tomento ſub terminali ſpica culmum & Scheuchzerus, & Hal-

le-

lerus inquiunt, at egò non alios in noſtris detexi villos, quam breviſſimam illam & pedicellorum, & glumarum, communisque ῥάχεως pubem. Spica florum terminalis, brevis, pauciflora, ſtipate addenſata, primum ovata, tum tantiſper elongata, nonniſi improprie paniculata; cum ſpiculæ, dempta ſolummodo infima, uno e pedicello gemina, omnes ſimplices duntaxat ſint, & bifloræ, pedicello adeo exiguo inſiſtentes, ut ſubſeſſiles merito dicas. Calyce ſingulæ ſunt biglumi, bifloro; glumis ſubæqualibus, tantillo, quam corollæ, brevioribus, oblongo-ovatis, acutis, muticis, violaceis, dorſo baſin verſus virente, oris marginum albidis, extus undique microſcopice pubentibus. Folliculi ſeu corollæ ſingulis in calycibus duæ, ſeſſilis pedicellataque; glumis calycinis parumper altiores; utraque bivalvis; valvulis ſubæqualibus, oblongo-ovatis; exteriore nihildum a glumis calycis differente; ſcilicet & ipſa quoque acuta, extus marginibusque pubente, ac tricolore; maximam nempe partem violacea, dorſo baſin verſus virente, ac per marginum oram albente; quo itaque a calyce differt mutico, ariſta duntaxat eſt, quæ eidem medio e dorſo enaſcitur, e violaceo nigra, ciliis undique obſita tenerrimis, inferne craſſior, dura, & rigida, paulo ſupra baſin infracta, exinde ſetaceo-capillaris, ultra corollas elongata. Interiore dein corollæ valvula tantillo breviore, apice fere truncata, & breviſſime bifida; extus longitudinaliter planiuſcula, albido-cæruleſcente, carinis binis parallelis viridantibus & ciliatis percurſa; marginibus lateralibus albidis introrſum plicatis. Stamina tria; filamentis capillaceis, albis, corolla longioribus; antheris flavis, oblongis, linearibus, utrinque bifidis. Germen ſubrotundum, ſtylis binis, divergentibus; ſtigmatibus ciliato-penicilliformibus. Notatum hic velim, nullam pubis corollarum fieri apud Hallerum Scheuchzerumque mentionem; colores item & ſpicæ, & locuſtarum paulo aliter deſcribi; ſed ſciendum, adultiores ab iis adumbratas ſuiſ-

ſe ſtirpes, in quibus nec primævam colorum teneritudinem, nec microſcopicam cadivamque cum tempore obſerves pubem. Oederi porro figura, Alopecuro cuidam ſimillima, niſi ad latus præſtantiſſimus autor ſpiculam adjeciſſet biſloram, numquam pro Airæ ſpecie haberetur.

CCXXV.

TRITICUM MARITIMUM.

Triticum panicula coarctata, ſecunda, rigida; ſpiculis ſubſeſſilibus, multifloris, unilateralibus; foliis planis ſubmucronatis.

Triticum calycibus multifloris, floſculis mucronatis; ſpica ramoſa. *Linn. ſpec. plant. pag.* 128. *num.* 10. *Necker. del. gallobelg. pag.* 78. *num.* 4.

Feſtuca panicula coarctata, ſecunda, ſpiculis rigidis, pedicellis acutangulis. *Gerard. galloprov. p.* 94. *num.* 4.

Poa panicula ramoſa, floribus alternis ſeſſilibus. *Royen. flor. leid. pag.* 62. *num.* 5.

Gramen loliacea panicula ramoſa, maritimum. *Scheuchz. agroſt. pag.* 274. *num.* 3. *tab.* 6. *fig.* 5.

Tergeſti prope Lazareto ſporco, tum & retro caſtellum hocce, florens Majo, & Junio. An & iſthuc, prout Linnæus in ſyſtem. Nat. Edit. XIII. Tom. 2. exiſtimat, Gramen Plukeneti duriuſculum maritimum-exile, ſoliis circumvolutis ſubjunceis brevibus, pertineat? non absque ratione dubito. Unilaterali ejusdem Tritico, ſors conveniat melius? Utcunque ſit; neque enim de eo angor maxime, poſteaquam de vera Tritici maritimi ſynonymia ſatis jam conſtat. Glomus fibrarum pertenuium, albido - luteo-

teolarum, plusquam pollicarium, breviſſimis capillaceisque fibrillulis obſitarum, Tritico maritimo radicis eſt loco. Ex eo culmi complures, ſex ſeptemve, aut & decem; ſpithamam tandem, aut & ſemialteram longi; quamquam de ſe ſimplices, uno tamen velut ex capite exoriuntur; humi primum in orbem procumbentes, dum ſeſe erigant demum, normales, rigentesque. Hi teretes, glabri, articulis, alternisque geniculorum nodulis atro-rubentibus, quinque, ſenasve per vices interſtincti, ſaturatius virent, primum, dum magis magisque durati, vixque flecti jam patientes, rubeſcant, quin & ex obſcuro rubore ſubcæruleſcant cum tempore etiam. Folia tot, quot culmorum articuli, eodem ſab uno usque ad alterum fere geniculum vaginis ſuis veſtientia, plana, lineari-lanceolata, acuminatiſſima; glabra quidem, retroductu tamen digiti aſperula; quo altiora ſitu, eo & elongata magis; linea vix unquam latiora. Solent & ea cum tempore interdum obſcure e virore rubeſcere. Longiore a ſupremo folio intervallo florum occipit panicula; cumque ea, qui eousque rectus ac teres fuerat culmus, leniter ſecundum longitudinem undato-flexuoſus evadit, commune deinceps, inque ſpicam elongatum, futurus receptaculum, alternatim hinc teretiuſculum, illinc canaliculatum. Huic in parte ejusdem canaliculata, non quidem prout in Tritico repente, aut unilaterali, ſpicula ipſa, plano ſuo appreſſa, ſed ramulus ſemper, ſive axis communis triqueter, craſſiuſculus, & rigidus innaſcitur, eidem & ipſe primum dorſo ſuo plano appreſſus, at ſub angulo demum acuto ab inde decedens & erecto-patens. Ramulorum horum, alternatim receptaculo communi innaſcentium, e quibus dein panicula florum coarctata, heteromalla, & rigida exſurgit, ea eſt ratio triquetri, ut ſpicæ panici ſanguinalis, aut dactyli, ſunt; dorſo ſeu poſtice plani, antice contra carinati, id eſt in aciem exſtantem compreſſi. Faciei carinatæ, alternatim utrinque affixæ ſunt ſpiculæ florentes,

tes, quinque, ſex, aut ſeptem ; inferioribus quidem breviter craſſeque pedicellatis, reliquis ſeſſilibus, omnibus tamen plana ſua parte axi communi imbricatim incumbentibus. Spiculæ ipſæ, oblongæ, compreſſæ, ſaturate virides, lanceolatæ; calyce biglumi, 7 - 8 - 10 - verbo multifloro. Glumæ calycinæ ſubæquales, corollis breviores, apice acutæ, non tamen ariſtatæ, cæterum nudæ, virides. Corollæ bivalves, oblongæ, valvula exteriore tantillo longiore, acutiuſcula, nec ariſtata proprie, oris lateralibus membranaceis, albidis; interiore planiuſcula, bicarinata, carinulis ſubciliatis, apice breviſſime bifida, plicis lateralibus albidis. Striarum calycis, corollæque non memini, utpote in recente planta parum, aut non obſervandarum. Stamina tria, filamentis ſetaceis albis; antheris oblongis, flavis, utrinque furcatis. Germen ſphæroidico - turbinatum. Styli duo filiformes, ſtigmatibus plumoſo penicilliformibus. Semen oblongum, hinc teres, illinc ſulco exaratum. Exhibui plantam naturali magnitudine, erectam, rigidam &c. Adjeci dein & plantam prima in ætate procumbentem, paniculis nondum debite evolutis; quæ Gramen pumilum Loliaceo ſimile Raji eſt, a Scheuchzero Agroſt. pag. 272. Tab. 6. fig. 3. propoſitum, tamquam parum - ſed tamen ſpecie diverſum a Poa rigida Linnæi, Gramine mihi nondum cognito. Rectius interim feciſſe Linnæum cenſeo, qui in Syſt. Nat. loco citato, ad Triticum maritimum revocavit, quocum reapſe idem, ſed ætate duntaxat differens, eſt.

CCXXIV.

CCXXVI.

ANDROMEDA POLIFOLIA.

Andromeda umbellis terminalibus paucifloris; corollis ovatis nutantibus, longe pedunculatis; foliis alternis, lineari - lanceolatis, margine revolutis, ſubtus incanis.

Andromeda pedunculis aggregatis; corollis ovatis; foliis alternis, lanceolatis, revolutis. *Linn. ſpec. plant. p.* 564. *num.* 5. *Gmelin. flor. ſibir. tom.* 4 *p.* 119. *num.* 3. *Gunner. flor. norv. tom.* 1. *p.* 93. *num.* 293. *Pollich. palat. tom.* 1. *p.* 403. *num.* 394. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 1. *p.* 434. *num.* 1017.

Viti idææ affinis polifolia montana. *Joh. Bauhin. I. p.* 525. *Oeder. flor. dan. tab.* 54.

Rhododendrum polifolium. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 287. *num.* 482.

Erica humilis rosmarinifolia, unedinis flore, capſula ciſtoide. *Plukenet. phyt. tab.* 175. *fig.* 1.

In turfoſis paluſtribus alpium Reichenavienſium ad ſanctum Laurentium frequens, floret Junio, nec minus copioſa conſimilibus circa Labacum locis, una cum Vaccinio Oxycocco, Droſera longi - & rotundifolia &c. Fruticulus humilis, ex decubitu ſurrectus, ramoſus, caule eſt gracili, perennante, ligneſcente, atro - rubente, inferne nudo, ac repente, nec niſi copioſis fibrillarum tenuiſſimarum faſciculis vaga per intervalla radicato. Rami, aut ſi caules malis dicere annuos, gracilium, lentarumque inſtar virgularum, & ipſi quoque, parcius tamen ramoſi, & baſi tantiſper reclines, lente ſe attollunt demum, teretes, glabri, ex virore rufeſcentes, tum

fuſci, foliis undique ſparſis obſiti, breviſſime petiolatis, ſive ſubſeſſilibus, anguſtis, lineari - lanceolatis, firmis, integerrimis, ora marginum deorſum revoluta, ſuperne ſaturate viridibus & glabris, ſubtus albido - incanis, nervo dorſali prominente, cæterum erecto - patentibus. Flores in caulium, ramorumve apicibus ſubumbellati; nec laterales alii; plerumque pauci, duo, tres, quatuorve, ſummum quinque; tamen & ſolitarii interdum; quotquot autem, uno omnes e puncto, aut certe admodum contiguis, enati; ſingulis de pollicari, normalique pedunculo nutantibus; ſunt pedunculi hi teretes, nudi, elegantiſſime ex albo incarnati, farcti, ſubtransparentes, propria ſinguli ad baſin ſtipati bracteola, ovata, concava. Calyx exiguus, monophyllus, quinquepartitus, perſiſtens, ex albo rubellus, ſive incarnatus, ſubpelviformis, ſegmentis ovato - acutiuſculis, integerrimis. Corolla ſpecioſiſſime incarnato - rubella, monopetala, ovato - campanulata, ſimulque obtuſe pentagona, baſi inflata, fauce ſtrangulata, limbo breviſſime quinquefido, lacinulis rotundatis, integris, patentiſſimis. Stamina decem, corollarum baſi internæ inſidentia, iisdemque breviora; filamentis ex ovata, & plano - compreſſa baſi in ſubulam attenuatis, villoſisque. Antheris ovalibus, introrſum triſulcatis, apice duas in ſetulas inflexas abeuntibus. Germen ſeſſile globoſum ſulcis quinis exaratum. Stylus columnaris, teres, corollæ altitudine. Stigma obtuſum, papilloſum. Capſula globoſa, ſulcis percurſa quinque, quinquelocularis, quinquevalvis, polyſperma.

CCXXVII.

CCXXVII.

SEDUM VILLOSUM.

Sedum caule erecto, basi subramoso, una cum foliis semitereti - planiusculis, florumque racemis, villoso - viscido.

Sedum caule erecto, foliis planiusculis, pedunculisque subpilosis. *Linn. spec. plant. p.* 620 *num.* 18. *Oeder. flor. dan. tab.* 24. *Gunner. flor. norveg.* 2. *p.* 41. *num.* 487. *Leers. flor. herb. p.* 108. *num.* 339. *Pollich. palat. tom.* 1. *pag.* 439. *num.* 433. *Allion. flor. ped. II. pag.* 123. *num.* 1755.

Sedum hirsutum & viscidum, foliis linearibus obtusis planiusculis. *Haller. hist. stirp. helvet. tom.* 1. *p.* 414. *num.* 962.

Sedum minus tertium, sive palustre. *Clus. hist. p. LIX.*

Sedum purpureum pratense. *Joh. Bauh. III. pag.* 692.

In pratis uliginosis alpium Fladnizensium ad St. Johannem. Etiam in turfosis declivibus alpis famigeratæ Stang - alpe, qua ex Turrach conscenditur. Julio florens. Rosulæ bulbiformes globosæ, teretiusculis succulentisque imbricatæ foliis, cespitose aggregatæ, & sessiles, radicem singulæ in terram demittunt substantiæ fungosæ, teretem, albam, fibris quaquaversum sparsis comatam plurimis, longisque, & ipsis quoque iterum fibrillosis. Hanc primi sobolem anni hac in gente crediderim. Marasmo depereuntibus deinceps plerisque exterioribus rosularum foliis, altero demum anno, qui in gemma velut latuerat caulis embryo, ad spithamæ plus minus exaltatur longitudinem normaliter erectus, simplicissimus, nullis jam circum basin, in bulbiformes rosulas ordinatis obsitus foliis; eorumdem

imo

imo loco, ramo interdum (non ſemper) uno, alterove auctus. Florifer caulis, & ſi qui ſubradicales forte adſint rami (principali ſimiles cauli) teretes, viſcidi, villoſi, foliis undique ſparſis, per omnem obſiti longitudinem oblongis, erecto - patentibus, carnoſis, ſucculentis, ſemiteretibus, ſupra videlicet planis, ſubtus contra teretibus, obtuſiſſimis, ſeſſilibus, latere baſeos interiore leviter duntaxat cauli hærentibus, & ipſis viſcidis, villoſisque. Supremos caules non tam cyma, quam corymbus verius terminat. Racemi nempe aliquot, ad eamdem fere adſcendentes altitudinem, erecto - patentes, bi - tri - verbo pauciflori, teretes, viſcidi, villoſi, aphyllique, ſi foliola, verius bracteolas floſculis ſubjectas, excipias. Flores breviter pedunculati, dum plures, introrſum ſecundi. Calyx inferus, quinque - rarius ſex - partitus, ſegmentis ſubovato - teretiuſculis, carnoſis, viſcido - villoſis, corolla brevioribus. Corolla penta - rarius hexa - petala, petalis ovatis, calyce duplo majoribus, integris, patentibus, dilute rubellis, carina dorſali ſubtus ſaturatius rubra. Stamina decem, rarius duodecim, corollis minora; filamentis albis; antheris rubris. Germina quinque, rarius ſex, ovato - oblonga, in ſtylum definentia ſubulatum, ſtigmate ſimplice obtuſo. Nectaria tot, quot germina, eorumdem baſi extus affixa, inſtar ſquamularum flavarum. Capſulæ quinque, rarius ſex, ſubovato - roſtratæ, divergentes, patentiſſimæ, ſurſum verſus compreſſæ, ſutura interiore longitudinaliter dehiſcentes, polyſpermæ. Decalvatur demum planta omnis, decedentibus villis, & quæ primum caule, foliis, racemisque & calycibus, viridis fuerat, ſanguineis dein aſpergitur guttulis, dum ultima in ætate, tota fiat rubra.

CCXXIX.

CCXXVIII.

JUNCUS TRIGLUMIS.

Juncus foliis fiſtuloſis ſubulatis; gluma terminali ſubtriflora.

Juncus foliis planis, gluma triflora terminali. *Linn. ſpec. plant. pag.* 467. *num.* 14. *flor. lapp. p.* 83. *num.* 115. *tab.* 10. *fig.* 5. *Gunner. flor. norv. II. pag.* 40. *num.* 482. *Gmelin. flor. ſibir. I. pag.* 67. *num.* 29, *Allion. flor. pedem. II. p.* 215. *num.* 2080. *Oeder. flor. dan. tab.* 132. *& tab.* 120.

Juncus folio ſubulato, gluma biflora terminali. *Linn. ſpec. plant. p.* 467. *num.* 13. *amœnit. acad.* 2. *pag.* 266. *tab.* 3. *fig.* 3. *Gunner. flor. norv. II. p.* 40. *num.* 480.

Juncus caule folioſo, nudo, foliis teretibus, floribus terminalibus ternis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 2. *p.* 168. *num.* 1314.

Juncus parvus montanus, cum parvis capitulis luteis. *Joh. Bauh. II. pag.* 523.

Stirps mere alpeſtris; admodum frequens in alpibus Reichenavienſibus &c. florens in fine Julii & Auguſto, diverſiſſima a Junco Jacquinii. L. in alpibus Spitalenſibus frequentiſſimo. Dicere ſatis nequeo, quantum me ſtirpis iſtius divexaverit diſquiſitio! Pro biglumi eamdem alias, alias rurſum pro triglumi Linnæi deſcripſeram; nec diverſitatem inter utramque inveneram, quam ſolum corollarum numerum. Certe enim, quod de planis Junci triglumis foliis Linnæus (& qui eumdem exſcripſerunt) dixit, minus recte dictum eſt; tereti - ſubulata, fiſtuloſaque ſunt, apice ſerius ſphacelata; ſtria duntaxat ſuperne, leviſſimeque, exarata; quæ ubi folii ejus-

dem enſis, vaginam ſuam, & cum vagina culmum deſerit, tantillo profundior, ſulcum aut & canalem mentiri videtur. Sed an propterea & plana ſunt? Negat Hallerus, optimeque; & quomodo plana, ſi fiſtuloſa? Talia ergo omnino ſunt, quale Montinus in Amœnit. acad. loco citato, Junco tribuit biglumi. Triglumem non raro biflorum præciſe, & Gmelinus, & Hallerus obſervavere; ego vero frequentiſſime; idque in eodem ceſpite, radicibusque utriusque unitis, cohærentibusque; quin & uni-duntaxat florum, nec rariſſime; poſſideoque omnium & ſingulorum, vel hodieque exemplaria, uno eodemque decerpta loco. Attamen glumarum perianthii alteram, in Biglumi ajunt majorem, mucronatam, dorſo viridem, ultra corollas eminentem &c. quæ in Triglumi inermis, mutica &c. ſolummodo ſit! Inania hæc ſunt. Et hæc quoque eodem deſumpta loco teneo exemplaria. Glumæ, perianthii, aut involucri adinſtar ſtipantes nunc binos duntaxat, ternos alias flores, muticæ ut plurimum, corollisque ſunt breviores, ut eas Oederus in Tabula 132. exhibuit. Specimina tamen occurrunt ſæpius tam biflora, quam triflora, in quibus eo, ut Oederus Tabula 120. expreſſit modo, gluma involucralis interior, eaque ſimul ſuperior, in brevem abit apice mucronem, paulo ultra corollas eminentem. Hæc, utut biflora, utut præterea tam ab Oedero ipſo, quam a Gunnero &c. pro Biglumi L. habita, Biglumis L. tamen ſpecimina haud ſunt, verum Triglumis; Vide id ipſum atteſtantem Linnæum in ultimo ſuo Opere Tomo ſcilicet 2 Syſtematis Naturæ XIII. p. 251. Nro. 14. In quo autem Juncus hic Oederi a Montinii Junco (Amœn. Acad. 2. Tom. 3. Fig. 3.) differt? aut differre, Linnæo id volente, deberet? ſcilicet in Montinii Junco non ſuperior, verum inferior, eaque exterior florum gluma in mucronem abit floſculis omnibus longiorem. Interim & talia, eodem cum reliquis lecta loco poſſideo ſpecimina, videoque mucronatam hanc glumam, non tam glumam

in-

involucralem esse florum, quam verum culmi folium glumiforme, a capitulo florum terminali, lineæ spatio sejunctum, vagina sua, qua culmum obvolverat primitus, maximam partem disrupta, & discedente, inque ovatam stipulam, extus ex viridi bruneſcentem, dorso medio longitudinali subcarinato & viridi, apice in ensem fistulosum, tereti subulatum, subsphacelatum, corollasque superantem terminatam, transmutata. Ex quibus demum omnibus, satis jam patere credo, Biglumem tam parum a Junco triglumi differre specie, quam parum inter se differunt Juncus olim Scopolii, Schrankii, aliarumque Monanthus, a trifido Linnæi nostris in alpibus vulgatissimo. Agnovit id dudum Hallerus, nec tam ratione, quam communi verius (ut crediderat) scriptorum consensu videri duntaxat dixit differre a triglumi biglumem. Epicrisi hac præmissa subnecto jam ipsam Junci triglumis descriptionem. Crescit is more Juncis omnibus proprio cespitose, prout eumdem circiter Joh. Bauhinus l. c. expressit, culmis nempe plurimis, uni - aut bipollicaribus, simplicissimis, enodibus, teretibus, lævibus, conferte aggregatis, basi sub terra nonnihil incurvis, & horizontalibus, inter se cohærentibus, aut connatis, copioso fibrillarum recta demissarum capillitio radicatis, perennantibusque. Eos sub terra, & paulo supra terram etiam, vaginæ emarcidæ fuscescentes vestiunt foliorum, superiorum annorum, & præter has, annua quoque folia unum aut duo, rarius tria, eosdem vaginis suis inde a radice emanantibus obvolventia, tam plerumque parva, ut ense suo, quo a culmis decedunt, tereti - subulato & fistuloso, vix mediam culmi altitudinem attingant, erecto - patentia, stria superne longitudinaliter percursa, apice mucronis ipso serius sphacelato. Culmus inde ad apicem usque, nudus, aphyllusque est, dempta ea solummodo varietate, in qua, ut dixi, paulo sub capitulo florali, foliolum glumiforme vaginans, ovatum, spadiceum, dorso subcarinatum, & viri-

deſcens apice mucronatum, interdum reperitur. Summus culmus truncatus, floribus ordinario binis aut ternis, unico, intra glumas binas ſubſeſſilibus, terminatus, tamquam capitello. Glumæ hæ involucrales, ſubovatæ, alterne ſeſſiles, ex viridi obſcure rubentes, demum atro - rubentes, floſculis breviores, ut plurimum muticæ, quandoque tamen, altera ſaltem, in mucronem breviorem, aut longiorem abeunte. Has præter glumas, & tertia quoque, iisdem interior, brevior, anguſtiorque, fereque lanceolata, plerumque adeſt; & ſi attente inſpicias omnia, ſub quovis quoque floſculo bracteolam ejusmodi glumiformem minimam deteges. Flores dixi ſubſeſſiles, ſerius enim, unus ad minus, breviſſime pedicellatus eſſe ſolet, reliquis tantillo altior. Calyx iis hexaphyllus, foliolis bis ternis, exterioribus tribus tantillo altioribus, omnibus oblongo - ovalibus, ſive & lanceolatis, ſubcarinatis, maximam partem albido - ſubluteolis, apicem verſus ſubroſeis, dum tandem ſpadiceo - fuſca fiant, erecto - patentibus, perſiſtentibus. Corolla alia nulla. Stamina ſex, erecta, calycis altitudine; filamentis albis, capillaribus, brevibus. Antheris flavis oblongis. Germen ſubrotundum, ſeſſile; ſtylus albus brevis. Stigmata, tria, longiuſcula, filiformia, villoſo - penicilliformia, dilute rubra. Capſula oblonga, ovali - ſubtriquetra, atro - rubens, cuſpidula ſtyli permanentis inſtructa, calyce altior, unilocularis, trivalvis, polyſperma.

CCXXIX.

CCXXIX.

SALIX ROSMARINIFOLIA.

Salix procumbens, foliis ſubſeſſilibus lineari - lanceolatis integerrimis, ſupra ſaturate viridibus nudis ſplendentibus; ſubtus ex decumbente ſericea pube albentibus.

Salix foliis integerrimis lanceolato - linearibus ſtrictis ſeſſilibus, ſubtus tomentoſis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1448. *num.* 27.

Salix pumila anguſtifolia ſecunda. *Cluſ. hiſt. plant. pag.* 86.

Salix pumila anguſtifolia, inferne lanuginoſa. *Joh. Bauh. I. part.* 2. *p.* 212.

Salix humilis repens anguſtifolia. *Lobel. obſerv. p.* 568. *Joh. Bauh. I. part.* 2. *p.* 214.

Salix procumbens, foliis lanceolatis, ſubtus ſericeis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 2. *p.* 307. *num.* 1644.

Clagenfurti *in der Sattniz* in turfoſis paluſtribus florens verſus Aprilis finem. Tantis vel hodieque Salicum ſpecies obvolutæ ſunt tenebris, ut pene dixerim, magnum fore Apollinem, alteras qui ab alteris, quantum ſat eſt, extricaverit, ſuisque deinceps ſingulas ſpecificis cum notis propoſuerit. Veteres, qui veros artis ignoravere, aut neglexere caracteres, quali demum cunque, rudi ut plurimum, contenti videntur fuiſſe ſpeciei figura; deſcriptionem addentes nullam, aut ex qua certe, præter vagas, pluribusque communes notas, addiſcas parum. Qui eosdem ſubinde exceperunt autores nuperrime, ſi Hallerum, Jacquinium, & Hofmannum excipias, verborum parciſſimi, nil fere, quam breviſſimas Linnæi repetierunt definitiones, ex propriis adjungentes nihil obſervationibus; ſive, quod il-

las, jam plusquam ſufficere crederent; aut quod quæ clara ſibi eſſent ſatis, nec aliis obſcura eſſe, & difficultatis quidquam faceſſere exiſtimarent poſſe. Salicum interea tamen, utque earum cumprimis hiſtoria, quæ aut minus obviæ, aut ſibi proximæ ſunt, numeris abſoluta omnibus, nondum viſa eſt peritiſſimis. Id & Linnæus, & Scopolius agnovere; agnovere etiam, quotquot earum plurimas novere. Sed nec perficiendam eam crediderim antea, quam exactæ earumdem, & quidem vivis adumbratæ coloribus, nec unius duntaxat, ſed ſingularum in ſingulis ætatum, exſtiterint figuræ. Variant certe plurimum, ſibi diſſimiles ipſis, ſola ex ætatis diverſitate!

Quam ex foliorum aliqua ſimilitudine, congruo plane nomine, Rosmarinifoliam dixit Linnæus, eadem omnino eſt, quam Cluſius, & ex eo Johannes quoque Bauhinus, locis citatis, deſcripſerunt, Salix; eadem, inquam, quam dein & Lobelius ipſe, iterumque & ex eo Joh. Bauhinus, recenſuit. At icon certe Lobelii, multo, quam illa Cluſii, melior eſt, niſi quidem, quod ſuſpicari licet, ſtirpem Cluſius exhibuerit, dum ſuis primum e gemmis emergere folia incipiunt, nondum explicata ſatis, neque juſtam adepta ætatem. Merito autem ſubdubito, Salix num iſta Johanni Bauhino nota vere fuerit, non equidem, quod binis ejusdem meminerit locis (quamvis cætera & ideo etiam); ipſe enim, Lobelianam recenſens, dubitat, an non alicni a ſe jam deſcriptæ, conveniat? Antverpianosque idcirco hortatur, dubium ut iſthoc abſtergant. Verum ea cumprimis de cauſa, quod a Dodonæo deſcriptam, & in Antverpiani creſcere agri credit ericetis; cum tamen Dodonæus, vir ipſe Belga, Mechlinia, haud procul Antverpia, oriundus, iis in ericetis primam (cujus & figuram dat) non ſecundam Cluſii Salicem pumilam anguſtifoliam, aſſerat naſci; eamdem, inquam, quæ & infra Francofurtum ad Mœnum cæduis udis in ſylvis

vis provenit, & de qua brevi uberius, poſtquam hic Rosmarinifoliam expedivero. Radicem ea habet perennem, ligneſcentem, digitum craſſam, dilutius extus, aut minus dilute fuſcam, intus albam, longe ſub terra, lateque horizontaliter diſcurrentem, perque iterata ſæpiſſime intervalla frequentibus radicularum, fibrillarumque capillamentis hærentem. Brevis ut plurimum, in quem denique abit, caudex, & ipſe ſub terra plerumque defoſſus decumbit, vixdum exſtans, & baſin duntaxat verſus ramoſus ſimplices (præprimis in mare) copioſasque quaquaverſum diffundit virgas, unum, ſemialterumve longas pedem, e decubitu, apicem præciſe verſus, tantiſper aſſurgentes; cæterum teretes, lentas, flexiles, e viridi primum obſcure rubentes, tum fuſcas, pubis haudquaquam expertes, utut non niſi vitrea diſcernendæ lente. Nodulis eæ, quam longæ ſunt, gemmarum plurimis, atque undique etiam ſparſis obſitæ ſunt ovatis, integris, atro-rubentibus, nudis; quarum quæ ſuperiores occupant partes, floralia dant amenta; foliorum contra ramuli, & ipſi e decubitu aſſurgentes, ex inferioribus enaſcuntur ſerius. Hæc (folia) primum parva anguſtaque, figuræ ſunt lanceolatæ, at diductis demum ramulis, ad pollicis usque unius, aut ſemialterius producta longitudinem, lineari jam potius evadunt lanceolata, breviſſimo, ut ne ſeſſilia omnino ſint, inſiſtentia petiolo, ſtipulis ſuffulto nullis. Saturato eorumdem prona pars reſplendet virore glaberrima, nullis adſperſa villulis; at vero ſupina, quanta quanta eſt, albet tota, ex decumbente tenerrima, ſericeaque & apreſſa pube, dum ætate calveſcat denique albido ſubglauceſcens. Serratam Hallerus, quam integerrimam ego vidi, oram marginis inquit. Fors ad ſpeciem tamen magis, quam reapſe ſerrulata ſint? ex inæquali ſcilicet extimi marginis contractione, dum per ætatem, & exſiccationem retrorſum is non nihil revolvitur? Florum amenta, tam maſcula, quam fœminea (ſuis utraque diverſis

in

in ſtirpibus) copioſa, per virgas undique, & laxe ſparſa, ſeſſilia, primum ovata, tum ovali - oblonga, ſubcylindriacave, erecta, calycum ſquamis ſtipatiſſime imbricata; foliolis baſi aliquot (2. 3. 4.) parvis, lanceolatis, axi floſculorum communi, villoſo, hærentibus, ſupra nudis & viridibus, ſubtus pubentibus, & ſericeo - incanis, ſtipata. Squamæ calycinæ oblongæ, lineari - obovatæ, ſupra nudæ virentes, ſubtus maximam partem obſcure rubentes, piloſiſſimæ; dum nigreſcant denique. Stamina in amentis maſculis bina, calycibus tandem duplo longiora, nuda; antheræ primum rubræ, dein flavæ, polline concolore; in fœmina, ſtaminum loco, germen inverſe pyriforme, breviſſime pedunculatum, pube incano - ſericea inſtratum, in ſtylum exiliſſimum incanum abiens; ſtigmatibus binis, craſſiuſculis, obſcure bifidis, ſaturatiſſime rubris. Nectarium utroque in ſexu ovatum, ſeſſile, baſi exteriori germinis, ſive ſtaminum annexum. Capſula calyces excedens, germini ſimillima, ſed longior, magisque vireſcens, maturitate flaveſcens, ſubdecalvata, unilocularis, bivalvis, ab apice bifariam dehiſcens, valvulis retrorſum revolutis polyſperma, ſeminibus pappo ſericeo niveo involutis.

CCXXX.

SALIX ANGUSTIFOLIA.

Salix ſuberecta, foliis ſubſeſſilibus exſtipulatis lanceolatis integerrimis; ſupra dilute virentibus, nitentibus, pubeſcentibus; ſubtus ex decumbente ſericea pube albentibus.

Salix pumila anguſtifolia prima. *Cluſ. hiſt. plant. p.* 85. & 86.

Sa-

Salix pumila anguſtifolia prona parte cinerea. *Joh. Bauh. hiſt. I. part. 2. p. 213. & 214.*

Salix pumila altera. *Dodon. pempt. p. 844.*

Salix pumila liniſolia incana. C. B. *Zanichel. hiſt. lit. venet. pag. 233. num. 3. tab. 44.*

Salix repens. *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. p. 259. num. 1213.*

Salix depreſſa. *Hoffman. ſalic. faſc. 3. p. 63. num. 10. tab. 15. & 16. fig. 1. - 4.*

In pratis humidiuſculis Clagenfurti *in der Sattniz*, tum & Labaci, florens circa finem Aprilis. In alpibus item Fladnizenſibus ad S. Johannem, conſimilibus locis ſerius tamen, initio Julii florens. Deſperavi denique ex Linnæo me eruere poſſe Salicem iſtam; quam uno Veteres omnes ore anguſtifoliam dixerunt. Credidit tamen Scopolius, eamdem cum Salice Linnæi repente eſſe; & ſane, quod opponerem, non eſt; brevem cumprimis ſi Linnæi deſcriptionem Salicis repentis, utraque in ſuecica flora datam, conſiderem; at, qui cum hac Salicis repentis deſcriptione combinem ſynonyma Caſpari Bauhini, Cluſiique Salicis pumilæ latifolæ, ipſo a Linnæo in ſpeciebus plantarum adducta? Credere velim, uno ſi de Cluſio ſermo ſit, errore factum calami, ut pro Salice pumila anguſtifolia prima, exſcriberetur Salix pumila latifolia prima; in eodem enim capite, imo & pagina eadem, utriusque mentio fit, verum qua tum ratione, Salicem Bauhini alpinam pumilam rotundifoliam &c. eamdem cum Cluſii eſſe anguſtifolia prima, demonſtrabimus? Linnæum credibilene eſt, bis eumdem ex diverſis autoribus errorem erraſſe? Atqui tum & tertium errare debuit, dum in ſpeciebus plantarum, propria in obſervatione, lanceolata folia, per folia ovata, ſeu ovato - oblonga, explicuit! Et profecto,

quisnam folia Salicis pumilæ anguſtifoliæ primæ Cluſii, Johannis Bauhini, & Dodonæi, ovata ſive & ovato - oblonga, dicat? Hos ne in ſcopulos offenderem imprudens, malui oblivioni apud recentiores datam Veterum ſtirpem poſtliminio reſuſcitare iterum. Eſt ea, ut jam Veteres obſervavere, proxima omnino Salici Rosmarinifoliæ, ab eadem tamen longe quam diverſiſſima. Humilis, parvaque in alpibus, in humilioribus ad unam duasve, & amplius aſſurgit ſpithamas, ſuper annoſo procumbente trunco novos quotannis attollens ramos ramuloſiſſimos, libere undiquaque erectos. Radix ſub terra defoſſa, & ipſa diſcurrens repit, radiculis, fibrillisque per intervalla ſparſis nixa. Vetus truncus ſive ſtipes, procumbit depreſſus, ligneus totus, cortice nudo, rimoſo, cinereo - fuſceſcente. Novelli contra rami breves, ramuloſiſſimi, ſaturatiſſime atro - purpurei, nudi, læves, nitentesque, copioſſimis undique obſiti gemmis ovatis, concoloribus, integris, demum de more cadivis; quarum inferiores, cum pauculis ſummis, breves foliorum proferunt ramulos; reliquæ amenta floralia; maſculis a fœmineis tota ſtirpe ſejunctis, utrisque tamen tantillo quam in Rosmarinifolia, minoribus. Maſcula ſeſſilia, primum ſubgloboſa, tum ex ovatis breviter cylindracea, erecta, vixdum ſemipollicaria, baſi foliolis aliquot (2. 3.) ſtipata lanceolatis; ſquamis incano - piloſis imbricata. Calyces non alii, quam eædem hæ ſquamæ, ſuntque lineari - obovati, extus baſi virentes, cæterum atro - rubentes, tum nigri, villis incanis longis denſe obſiti; annexum baſi interiori habentes nectarium breve, obtuſe ovato - conicum, atro - pariter rubeſcens fere totum; atque medio inter nectarium & ſquamam loco, bina, calycibus ipſis demum longiora, emittentes ſtamina, filiformia, alba, didymo ſimulque quadriloculari flavarum antherarum capitello terminata. Amenta fœminea vix, aut ne vix quidem ab iis Salicis rosmarinifoliæ, diverſa; ovata primum, & ſeſſilia; tum ſubovato -

cy-

cylindracea, ſemipollicaria, & ſubſeſſilia, ſeu breviſſime pedunculata; pedunculo villoſo, baſique foliolis duobus tribusve lanceolatis, & ſeſſilibus, alternatim obſito. Eorum ſquamæ calycinæ, & nectaria, nihil a maſculis, germina contra, una cum ſtigmatibus, & breviter pedunculatis, villoſisque capſulis, nihil ab iis, Salicis rosmarinifoliæ, differunt. Omnis, maximaque ſimul, præter creſcendi modum, diverſitas in foliis eſt; quæ ſuis e gemmis evoluta, brevibus alternatim hærent ramulis ſubſeſſilia, ſeu breviſſime petiolata, anguſta, vixdum pollicaria, ſemper lanceolata, integerrima, ſupra dilute viridia, & quamquam pubentia, nihilo tamen nitentia minus, ut nuda & lævia credere poſſis, niſi microſcopium, etiam in ſeneſcente jam ſtirpe, exiliſſimos detegeret villulos, qui iisdem viridi-denique incanam faciem conciliant. Subtus eadem, ex decumbente ſericea pube, albentia; dum ſera demum, ultimaque in ætate, & hiſce dejectis villulis, albido-glauceſcant decalvata.

CCXXXI.

JUNCUS SUBVERTICILLATUS.

Juncus culmo ſubdichotomo; foliis ſubulato-ſubſetaceis; floribus faſciculato-ſubverticillatis.

Juncus caule brachiato, foliis ſetaceis, floribus faſciculatis, ad ramos ſeſſilibus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 2. p. 170. num. 1320.*

Juncoides calyculis paleaceis glomeratis, folia varians. *Scheuchz. agroſt. pag. 330. num. 5. tab. 7. fig. 10.*

Gramen junceum aquaticum, capitulis, cum foliis capillaceis simul ortis, proliferum. *Pluken. almag. pag.* 179. *& phytog. tab.* 32. *fig.* 3. figura minus bona. *Oeder. flor. dan. tab.* 817. putat Junci bulbosi Varietatem, cum potius ad Bufonium accedat. Nec hæc bona figura.

Gramen bufonium, glomeratis utriculis? *Barrel. tab.* 94. Videtur.

Clagenfurti ad ſtagna Zigulnenſia, in Turfoſis verſus Ebenthal, & Loreto. Tum Labaci in turfoſis ſub Roſenbach, una cum Vaccinio Oxycocco, & Droſeris longi- & rotundifolia. Optime more ſuo Hallerus juncum hunc, non a Bulboſo ſolum Linnæi, ſed & a Bufonio quoque (cui cætera proximus eſt) diſtinxit; nam vere a cæteris diſtinctus eſt omnibus; id unum minus conſulto egit, quod ſynonymum Linnæi Junci bulboſi, non ad Nro. 1318. quo omnino pertinebat, ſed ad ſuum Nro. 1320., Junci hujus ſubverticillati adſcripſerit. Hac enim ſolum de cauſa Oederus poſtea, Gramen, cujus Tabula 817. figuram dedit qualemqualem, repentem Junci bulboſi credidit varietatem; & Pollichius ipſe, unaque cum illo Leerſius inter ſynonyma Junci bulboſi L. ſtirpem Halleri Nro. 1320. quam viderunt numquam, recepere. Denſos perennantesque uliginoſis locis ceſpites ſubverticillatus hic format juncus culmorum ab uno ad tres pollices altorum, copioſiſſime aggregatorum, qui baſi ſua, non vere, ad ſpeciem verius (ob ſuperſtites foliorum ſemitabeſcentium vaginas) bulboſa, ac ſecundum horizontem nonnihil incurva cohærentes, multiplex fibrillarum albarum (quibus radicentur) demittunt capillitium. Sunt iidem teretes, læves, ſpintre paulo craſſiores, ſaturate virides, foliis, præter radicalia, caulinis aliquot vaginati, ſimplices, aut ſemel modo bifidi, ſive dichotomi, floribus faſciculatis ſubverticillatis terminalibus, lateralibusque per intervalla obſiti, primum quidem erecti, tum decumbentes, rurſum-

ſumque ſub lateralibus florum faſciculis, per demiſſas recens fibrillas radicati. Folia tam radicalia, quam caulina ſubſetacea, re autem vera tereti - ſubulata, ſtria ſuperne tenui longitudinaliter exarata, nullis interne geniculorum interpolata iſthmis, baſi compreſſis culmum ſemiamplexantia vaginis, ad oras albido - membranaceis. Flores ad eum, quo in Buſonio, modum, per ramorum intervalla, apiceque ſubſeſſiles, non tamen, ut in Buſonio, ſimplices & ſolitarii, verum faſciculati; pluribus ſemper (tribus, quatuor, aut quinque, unum velut capitulum, aut verticillum conſtituentibus) ſimul, intra bracteas binas, una cum pluribus ſubulato - ſetaceis, & elongatis foliis, ortis. Bracteæ ovato - lanceolatæ, ſeſſiles, albidæ, lineis viridantibus percurſæ, florum altitudine. Flores ſinguli breviſſime pedicellati, ſubſeſſiles, erecti. Calyx hexaphyllus, foliolis bis ternis, ſubæqualibus, erecto - patentibus, ovato - oblongis, acutiuſculis, non tamen mucronatis aut ariſtatis, capſula brevioribus, extus viridibus, margine membranaceo ex albido ſubbruneſcente, tandem dilute ſpadiceis. Stamina ſex, calyce breviora, filamentis albis, antheris flaventibus. Corolla nulla. Germen obtuſe ſubtriquetro - ovatum. Stylus filiformis albus, ſtigmata tria, ſtylo breviora, ciliato - penicilliformia. Capſula oblongo - ovalis, obtuſe ſubtriquetra, calyce altior, ſpadiceo - fuſca, de ſe obtuſa, ſed mucrone brevi, ex ſtylo remanente, velut armata; cæterum unilocularis, trivalvis, polyſperma. Quæ omnia aliter ſe in J. Buſonio habent.

CCXXXII.

JUNCUS NIVEUS.

Juncus foliis planis, pilosis; paniculis corymbosis, folio brevioribus, subumbellato - fasciculatis, niveis, foliolis calycum interioribus duplo longioribus.

Juncus foliis planis subpilosis, corymbis folio brevioribus, floribus fasciculatis. *Linn. spec. plant. p.* 468. *num.* 16. *Gerard. gallopr. p.* 141. *num.* 14. *Allion. flor. pedem. II. p.* 216. *num.* 2084..

Juncus planifolius, paniculis umbellatis, petalis interioribus duplo longioribus. *Haller. hist. stirp. helvet. II. pag.* 173. *num.* 1328.

Gramini Luzulæ affine, flore albo. *Joh. Bauh. II. pag.* 492.

Gramen Leucanthemum. *Dalechamp. p.* 426.

Juncoides montanum nemorosum, flore niveo. *Scheuchz. agrost. p.* 320. *tab.* 7. *fg.* 7.

In ascensu montis Predil in Valle Rablensi frequens una cum Diantho Arenario L. Rarior hic, quam passim creditur, Juncus, non potuit non attentionem excitare meam; eo cumprimis, quod ejus loco, aliam sub eodem specifico nomine, Junci speciem apud nuperrimos descriptam inveniam, quam Linnæus quidem cum Junco suo pilosо conjunxit, quæ tamen æque a pilosо, ac a vero Linnæi niveo differt. Ejus mox descriptionem daturus, hanc Nivei præmittendam existimavi. Radix nivei, eadem, quæ & in sequentibus Angustifolio, Latifolio, Pilosо &c. Culmi scilicet plures, simul orti, basi sub terra in horizontem incurvi, ac e decubitu adscendentes, thecisque vaginarum, radicalium foliorum copiosis

im-

imbricati, obvolutique; frequentes ii omnes perennantesque recta demittunt fibras, integrum conſtituentes capillitium, ſive comam, ſuntque longæ, undato-ſinuoſæ, lentæ, cum tempore fuſco-nigricantes, & ſubligneſcentes, exſiccatione rigidæ, chalybeæ, fragiles. Culmi qua ultra terram ad duorum, triumve pedum eminent altitudinem, recti, teretes, læves, articulis conſtant quatuor, ſive & quinque longis, totidem interſtinctis geniculorum nodulis atro-rubentibus; vaginis foliorum culmeorum maximam partem veſtiti. Folia tam radicalia, quam culmea anguſta, lineam circiter lata, at tanto longiora ſimul, ſex octove pollicum, lineari-lanceolata, acutiſſima, pilis leviter hærentibus albis mollibus longis, demum cadivis, ad margines laterum, obſita. Ii pili, ubi vaginæ in folia explicantur a culmis decedentia, tum & ad latera baſeos eorumdem foliorum copioſius accumulati, pertinacius hærent numquam non conſpicui, vel dum omnis jam decalvata eſt planta: Summus culmus panicula terminatur erecto-patente, e pluribus minoribus corymboſisque compoſita, foliis (plerumque binis) involucralibus breviore; eam ramuli conſtituunt, graciles, elongati, nudi, e ſquama bracteali vaginante ſcarioſa, exalbida & piloſa exorti, apicem verſus in pedicellos aliquot tenerrimos, undique ſparſos, & corymboſos diviſi. Pedicelli hi, & ipſi quoque bractea baſi vaginante conſimili, ſed minore, involuti, floribus terminantur ſubumbellato-faſciculatis ſpecioſiſſimis ſubſeſſilibus, longioribus quam in hac ſolet gente, nive ut ita dicam candidioribus, & immaculatis, quorum ſingulos imbricatim incumbentes baſi cingunt bracteolæ complures ovato-acuminatæ nudæ ſcarioſæ albentes. Calyces (neque enim præter eos corolla eſt alia) oblongi primum conniventes, tum in apertam patentes ſtellam, hexaphylli, foliolis bis ternis, lanceolatis, ſubcarinatis, niveis, nitentibus, tribus exterioribus, & alternis duplo brevioribus, omnibus

per-

perſiſtentibus. Stamina ſex alba, calyce breviora, antheris oblongis, flavis. Germen exiguum ſeſſile viride ſubtriquetro-ovatum. Stylus filiformis albus ſtaminum altitudine. Stigma trifidum, corollis altius, ciliato-penicilliforme. Capſula ovata, triquetra unilocularis trivalvis polyſperma.

CCXXXIII.

JUNCUS ANGUSTIFOLIUS.

Juncus foliis planis piloſis; paniculis ſubradecompoſitis cymoſis folio brevioribus; floribus umbellato ſubtrifloris, foliolis calycum ſubæqualibus.

Juncus planifolius umbellatus, petalis æqualibus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II. p.* 173. *num.* 1327.

Gramen Luzulæ medium. *Joh. Bauh. II. pag.* 463. *cap.* 172.

Gramen hirſutum anguſtifolium majus. *Scheuchz. agroſt. pag.* 318.

Juncus niveus corymbo florali ſubjecto folio breviore, floribus albidis duobus, & tribus in apice ſinguli pedunculi. *Scop. flor. carn. II. tom.* 1. *p.* 259. *num.* 436.

Juncus niveus foliis planis, ſubpiloſis, corymbis folio brevioribus, floribus faſciculatis. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 90. *num.* 269. *tab.* 13. *fig.* 9.

Juncus nemoroſus foliis planis piloſis, floribus faſciculatis. *Pollich. I. pag.* 352. *num.* 352

Paſſim in ſylvis montanis umbroſis Goritiæ, Clagenfurti, Labaci &c. æſtivis menſibus. Pro nivec Linnæi junco propoſuit cum Scopolio Leer-

Leerſius ; Linnæus contra tamquam piloſi varietatem ε. inter ſynonyma ejusdem recenſuit; ab utroque interim ſpecificis , conſtantibusque differt notis. Certe Juncus Linnæi piloſus non tam paniculam profert compoſitam , quam corymbum verius umbelliformem pedunculis ſimplicibus, ut plurimum uni - rarius bifloris , rariſſime bifidis & trifloris, ut nil de calycum dicam colore atro - ſpadiceo, qui in Anguſtifolio albidus, & ex albido aquoſe ſubſpadiceus eſt. Nivei dein Junci panicula numquam tam adeo multiplex, & ſupra , ut ita dicam, decompoſita eſt, ut eam junci anguſtifolii exhibuit eleganter Leerſius ; nec partiales paniculæ cymoſæ, ſed corymboſæ omnino; & flores denique majores, longioresque multo , in umbellulas velut collecti terminales, non pauperes & paucifloras, ſed faſciculatim multifloras. Radice cæterum haud multum abſimili, ab ea Nivei, eſt Juncus anguſtifolius , culmorum videlicet plurium ſimul ortorum baſes (oblongos mentiuntur bulbos, ob ſuperſtites foliorum vaginas ſemitabeſcentes) in horizontem nonnihil reclines & incurvæ, fibras recta demittunt plurimas ſinuoſo - longitudinaliter flexuoſas, nigricantes, lentas, ſubligneſcentes. Sed neque differunt utriusque inter ſe culmi , foliaque tam radicalia, quam culmea, & quæ involucralia dicere fas eſt, utpote paniculæ velut ſubjecta, eamdemque longe excedentia. Eadem ergo in utroque hæc, aut fere eadem ſunt, ut & pili molles, albi, longique ad foliorum margines eorumque cumprimis exortum occurrentes; ut adeo præcipuæ , quibus ab invicem diſcernantur , notæ , paniculam ante omnia, paniculæque concernant indolem, ramificationes , floresque. Copioſior hæc multo , quam in Niveo , & vere ſupra - ut dicimus - decompoſita eſt ; enatis ſummo de culmo plurimis alternatim pedunculis contiguis, ſive ramis pertenuibus , nudis , erecto - patentibus , cymoſis verius , quam corymboſis , aut ſi ita vis , in cymoſos ordinatis corymbos ; &

ipſis quoque apicem verſus cymoſe iterum corymboſis, pedicellis extimis ſubumbellato - trifloris. Sunt pedunculi, ſeu rami hi omnes, eorumdemque pedicelli ſinguli, bracteæ baſi ſtipulari vaginante lanceolatæ ſcarioſæ ex albido ſubrufeſcente & piloſa obvoluti, erecto - primum patentes, tum nutantes, interiores (iique ſuperiores) exterioribus breviores, ut cymas omnino, quam corymbos referant magis. Flores extimis in pedicellis ut plurimum tres ſimul, etiam bini duntaxat interdum, in umbellulam velut ordinati, breviſſimis ſinguli inſiſtentes pedicellis, ut ſubſeſſiles dicere poſſis, intra ſquamas ſive bracteolas aliquot exiguas, ovato - acutas, ſcarioſas, nudas, albido - rufeſcentes, ſurſum imbricatas, calycumque baſin vallantes. Calyces, quam Niveo, minores, oblongo - ovati, hexaphylli, foliolis bis ternis, ovato - acutis, ſubæqualibus, re enim ipſa alternis, iisque inferioribus tantillo brevioribus, in floreſcentia patentiſſimis, alias conniventibus, & perſiſtentibus. Color illis albus, non niveus, dorſo cum tempore a baſi ſurſum verſus aquoſe rubeſcens, ut dilute ſubſpadicea extus fiant denique, oris marginalibus albidis. Corolla cæterum nulla. Stamina ſex calycibus tantillo breviora; filamentis exiguis albis; antheris oblongis flavis. Germen ſubtriquetro - ſphæroidicum; ſtylus filiformis, ſtaminum altitudine, albus; ſtigmata tria filiformia, ciliato - penicilliformia. Capſulæ fuſcæ ſubtriquetro - ovatæ, reſidua ſtyli portione breviter mucronatæ, unilaculares, polyſpermæ.

CCXXXIV.

CCXXXIV.

JUNCUS LATIFOLIUS.

Juncus foliis planis lanceolatis piloſis, culmeis ſenſim minoribus; paniculis ſupradecompoſitis, cymoſo-corymboſis, folio longioribus; pedunculis umbellato-ſubtrifloris; foliolis calycum æqualibus.

Juncus foliis planis hirſutis, floribus paniculatis falciculatis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. II. p.* 171. *num.* 1324.

Gramen Luzulæ maximum. *Joh. Bauhin. II. p.* 493. *cap.* 173.

Gramen nemoroſum hirſutum latifolium majus. *Scheuchz. agroſt. p.* 317.

In ſuperioribus umbroſis ſylvis alpium Lithopolitanarum, menſe Junio. Et hunc Junco Linnæus piloſo, tamquam Varietatem ejusdem δ. non recte conjunxit; nec magis feliciter Pollichius cum modo deſcripto anguſtifolio. Ab utroque, ut rectiſſime judicarunt cum Bauhinis, Hallerus & Scheuchzerus, diſtinctiſſimum. Iisdem ille, quibus anguſtifolius a piloſo, differt notis. Ab anguſtifolio, non foliis duntaxat latioribus, ſed vere enſiformi-lanceolatis, firmis; culmeis præterea non elongatis; minoribus imo ſemper, minoribusque, ſummisque, ſeu involucralibus paniculam haud excedentibus; eadem verius brevioribus. Quid? quod & panicula, vel recens, aliter longe ſit colorata, ex diluto videlicet roſeo ſubſpadicea, demum dilute caſtanea? & foliola quoque calycis, æqualia, lanceolata, apice in acumen ſubſetaceum, longiuſculum attenuata? Notæ, ſi quid video, plusquam ſufficientes, ad diſtinguendam ſpeciem. Omnibus ille ſui generis fortior multo, firmiorque, quamvis radice cæterum, fibrisque, dempta proportione, vix differat. Folia, quæ de radice (eamdem vaginantia) oriuntur

plurima, & ſemipollicem lata; plana firmaque ſunt, & lanceolata, enſis omnino forma, ut ea fere Gladioli communis; culmea contra, non ut in Niveo aut Anguſtifolio, elongata; ſed brevia, vix pollice longiora, ſenſim ſurſum verſus minora, ipſis, quæ involucri adinſtar, panicuſæ ſubjecta ſunt terminali, eamdem haud excedentibus. Hæc interim æque, ac illa, longis per marginem, vaginarumque finem, obſita pilis, mollibus, albis, ac demum cadivis. Panicula terminalis, ab ea Junci anguſtifolii parum diverſa, magis tamen fere compoſita, & major, magisque, ob florum pondus, nutans; pedunculis, ſtipulis, bracteisque iisdem; non tamen & iisdem aut eodem tinctis colore, floribus. Hi medii velut, inter eos Niveil, & Anguſtifolii, his majores, minores illis ſunt. Eorum calyx hexaphyllus, foliolis eſt bis ternis, longitudine æqualibus, lanceolatis, ex diluta rubedine ſubſpadiceis, apice longiuſcule ſubletaceo - acuminatis, floreſcentiæ tempore patentiſſimis, alias conniventibus, perſiſtentibus. Corolla nulla. Stamina ſex, calyce tantillo breviora; filamentis exiguis albis; antheris flavis oblongis. Germen ſeſſile, ſubtriquetro ovatum, nudum. Stylus ſtaminum longitudine, filiformis, albus; ſtigmata tria oblonga, ciliato - penicilliformia. Capſula ovata, obtuſe triquetra, caſtanea, nitens, unilocularis, trivalvis, triſperma.

CCXXXV.

CCXXXV.

BETULA NANA.

Betula foliis orbiculatis, crenatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1394. *num.* 4. *Amœnit. acad. I. pag.* 4. *tab.* 1. *flor. lapp. pag.* 266. *tab.* 6. *fig.* 4. Optime. *Ammon. ruthen. p.* 180. *num.* 259. *Gmelin. flor. ſibir. I. pag.* 170. *num.* 23. *Gunner. flor. norv. II. pag.* 27. *num.* 419. *Oeder. flor. dan. tab.* 91. *Schrank. it. bav. p.* 170. *tab.* 3. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II. p.* 300. *num.* 1629.

In alpibus Reichenavienſibus ad ſanctum Laurentium frequens *an ſumpfigen moraſtigen Oertern hinter der Wieſe des Herrn Pfarrers.* Frutex, ſive verius arbor, humilis, ramoſiſſima, diffuſa, procumbens, duos tresve pedes longa (vix enim altam dixero, cujus proſtratæ rami apud nos duntaxat ex decubitu aſſurgunt) radice eſt perenni, lignea, ramoſa, repente, ſcriptorii craſſitudine calami, radiculis fibrillosis hinc inde obſita. Caudex, ramique & ipſi lignoſi, eademque circiter craſſitudine, cortice obteguntur ex atro - rubente, primum leviſſime tomentoſulo, & ex tomento ſubcineraſcente, tum nudo, lævi, ac magis magisque ex ruſo - nigricante. Gemmis ii quanti quanti ſunt, obſiti ſunt brevia per intervalla plurimis, ovatis, ſeſſilibus, undique ſparſis. Has ſquamæ obvolvunt aliquot, coriaceæ, atro - rubentes, nudæ, nitentes, ovatæ, concavæ, margine ſcarioſo - membranaceæ, lacero - ciliatæ, dilutiores, demum cadivæ. Quavis ejusmodi ſquamoſa e gemma ſtipes, ſive truncus ligneus breviſſimus, vix lineam altus, ſed tamen craſſiuſculus, emergit tandem, tria apice ſuſtinens folia parva, orbiculata, breviſſime petiolata, firma,

nuda, ſupra ſaturate viridia, & nitentia, ſubtus pallidiora, & reticulato-venoſa, margine obtuſe crenata. Amenta florum admodum frequentia, ſingulis fere ex axillis ſingula; maſcula, fœmineaque eodem in caudice ramisque; his plerumque extremitates occupantibus. Sunt ea noſtris in alpibus parva, vix ſemipollicem excedentia, oblongo-ovata, ſubcylindracea, in axillis trium quorumvis foliorum ſubſeſſilia, erecta, ſquamis calycinis ovato-acuminatis, nudis, primum viridibus, tum rufo-ſpadiceis, imbricata. Tres ut plurimum in amentis maſculis, bini in fœmineis, flores calycinarum ſquamarum baſi adhærere ſolent, iisdem breviores; corollula ſingulis intra bracteolas binas exiguiſſimas ſeſſilis, parva, quadripartita (in fœmineis vix præ parvitate conſpicua) lacinulis ovatis, ex virore demum ſpadiceo-fulca. Stamina in corollis maſculis quatuor, filamentis capillaribus, exiguis albis; anthæris ſubovatis flavis didymis. Germen contra in fœmineis ovatum, viride, parvum, ſeſſile, ſtylis binis, capillaribus, rubris, calyce longioribus, in ſtigma ſimplex abeuntibus. Fructus ſive ſemen ovatum, plano-ſubcompreſſum, apice acutiuſculum, calyce tantillo majus.

CCXXXVI.

ANTHERICUM LILIAGO.

Anthericum foliis planis, ſcapo ſimpliciſſimo, corollis patentibus, piſtillo declinato. *Linn. ſpec. plant. pag.* 445. *num.* 5. *Jacq. hort. vindob. tom* 1. *p.* 36. *tab.* 83. *Oeder. flor. dan. tab.* 616. *Pollich. palat. I. p.* 334. *num.* 335. *Leerſ. flor. herb. p.* 84. *num.* 252. *Allion. flor. pedem. II. p.* 165. *num.* 1904.

Pha-

Phalangium non ramoſum. *Lobel. obſerv. p.* 27. *Dodon. pempt. p.* 106.
Phalangium radicibus teretibus; foliis radicalibus carinatis enſiformibus, petiolis unifloris. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II.* p. 100. *num.* 1207.

In rupeſtribus ſubalpinis Leontinis. Fibræ craſſiuſculæ complures, albidi coloris, in unum velut caput collectæ, ex quo longorum inſtar funium, quaquaverſum ſparſæ, radiculisque fibrilloſis obſitæ, defluunt, radicem Liliaginis conſtituunt perennantem. Scapi ex ea aliquot, plurimaque eosdem ſemivaginantia attolluntur folia biſpithamalia, tres quatuorve lineas lata, lineari-lanceolata, tenerrime ſubſtriata, ſupra primum canaliculata, ſubtus teretiuſcula, tum dempta baſi, utrinque plana, nuda, glabra, ſaturate viridia. Scapus ſimpliciſſimus, foliis radicalibus altior, erectus, teres, glaber, farctus, firmus, unam circiter lineam craſſus, viridis, aphyllus cætera, ſi unum, alterumve demas. foliolum lineari-ſubulatum, & ſeſſile, paulo infra terminalem florum racemum (laxius ab invicem disjuncta) interdum occurrens. Racemus terminalis ſimplex (neque enim ramoſam vidi) floribus aliquot, ſeptem, octo, aut decem, laxe, alternoque inter ſe ſitu ordinatis, ſimpliciſſimis, ex axilla bracteolæ longiuſculc pedunculatis, erecto-patentibus, majuſculis, niveis. Calyx iis nullus; corolla patentiſſima, multo, quam ea *Antherici* ramoſi, major, hexapetala, petalis nempe bis ternis, lineari-ovalibus, ſubæqualibus, tribus exterioribus, alternisque tantillo latioribus; reliquis interioribus, non equidem petiolatis aut pedunculatis, baſin tamen verſus nonnihil attenuatis; omnibus niveis, ſupra ſtriatis, ſubtus carinulis tribus longitudinalibus percurſis, quarum intermedia infloreſcentiæ tempore aquoſe virescens. Stamina ſex, nuda, corollis breviora; filamentis ſubulato-compreſſis, albis, alternis brevioribus; antheræ oblongæ, flavæ. Germen

ſu-

ſuperum, ſubtriquetro - ovatum, nudum. Stylus ſtaminibus longior, teres, declinatus. Stigma ſimplex obtuſum ſubflaveſcens. Capſula oblongo-ſubovata, triſulca, obtuſe ſubtriquetra, trilocularis, trivalvis, polyſperma.

CCXXXVII.

VITEX AGNUS CASTUS.

Vitex foliis digitato - ſeptenatis; ſpicis verticillatis; floribus ſubbilabiato - quinquefidis, reſupinatis.

Vitex foliis digitatis ferratis, ſpicis verticillatis. *Linn. ſpec. plant. pag.* 890. *num.* 1. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 448. *num.* 783. *Gerard. galloprov. p.* 280. *num.* 1. *Allion. flor. pedem. I. p.* 124. *num.* 458. - Ἄγνος. Vitex. *Matthiol. in dioſc. p.* 115. *cap.* 116. *num.* 30. *Cord. pag.* 20. *b. cap.* 136. *Trag. p.* 405. *b. cap.* 59. *Lobel. adverſ. p.* 469. *Dalechamp. p.* 281. *Dodon. pempt. p.* 774. *Joh. Bauh.* 2. *p.* 205.

Ridicula ſunt, quæ de famigerato hoc caſto frutice poſteris reliquere Veteres. Nihil de his (qui pauci ejusdem meminere) Recentiores; & ſapienter; neque enim fabuloſa jam vivimus tempora. Syſtematicas hodie ſtirpium deſcriptiones, non græcorum perſequimur commenta. Talem fruticis iſtius cum vel nuperrimis in Floris inutiliter quærerem, ſequentem ad viva ejusdem exemplaria, in arenoſis maritimis ſinus Flanatici ſub Terſacto, tum iterum Tergeſtum inter & Servolam inventa, adumbravi. Frutex ſubarboreſcens, erectus, oppoſitis ex axillis ramoſiſſimus, nunc humilior, alias ad altitudinem fere hominis exaltatus; virgis, ſive ramis lentis,

tis, ſubligneſcentibus, ex tetragono teretiuſculis, viridibus primum, tum ex rufo fuſcis, tomentoque brevi byſſino, & incano denſiſſime obductis, brachiatus. Folia per caudicem, ramosque omnes, plurima, ſemperque oppoſita, contrariis alternatim eorumdem e lateribus orta; ſuntque digitato - ſeptenata, de communi longiuſculo, terete, incano - tomentoſo petiolo ſuſpenſa; foliolis ipſis lanceolatis, integerrimis, ſubſeſſilibus, byſſino - tomentoſis, tactui molliſſimis, ſupra obſcure viridibus, ac per exſiccationem nigris, ſubtus albido - incanis; intermediis longioribus, lateralibus utrinque ſenſim decreſcentibus, omnibus foliorum ſalicis æmulis. Flores in ſpicis terminalibus, axillaribusque oppoſitis apicem verſus, interrupte verticillati. Spicæ tetragonæ, aphyllæ, incano - tomentoſæ. Verticilli ſubcapitati, floribus utrinque plurimis, faſciculatis, breviſſimo communi, & oppoſito pedicello inſidentibus, bracteola exigua ſuffulto, etiam in ſupremis nulla. Calyx parvus, monophyllus, tubuloſus, ovato - campanulatus, obtuſe quinquedentatus, incano - tomentoſus. Corolla calyce major monopetala, ſubbilabiata, & reſupinata; tubulo extra calycem ex albo - cæruleſcente; limbo inæqualiter quinquefido; lacinulis quatuor æqualibus, ovatis, brevioribus, (tamquam labio) ſuperiore loco conſtitutis; quinta (tamquam galea) majore, & ipſa ovata, concava, integra, deorſum ſpectante, ſingulis introrſum ſaturate & obſcure rubris, extus cæruleis quidem, ſed ob exiguam pubem dicam? an tomentum? in albedinem languentibus. Stamina quatuor ſubdidynama (fere enim æqualia ſunt) corollis tantisper altiora; filamentis albis, baſi villoſis; antheris rotundatis, verſatilibus, flavis; binis & binis mutuo primum appreſſis; polline albo. Germen in fundo calycis ſeſſile ſphæroidicum. Stylus corolla ſtaminibusque altior, filiformis, intra corollam albus, extra eamdem cæruleus. Stigma bifidum, lacinulis ſubulatis, incurvis. Bacca ſphærica, nuda, atra, qua-

drilocularis, tetraſperma. Odor Lavandulæ, ſed debilior. Notatum hic velim in botanicorum poſterorum gratiam, diſſentire me in deſcriptione corollæ non ab Allionio duntaxat, ſed & a Linnæo quoque, Gleditſchioque in ejusdem plantarum ſyſtemate a ſtaminum ſitu deſumpto. Bilabiatam Viticis corollam Gleditſchius inquit, labio utroque trifido; Allionius contra, bilabiatam quidem, ſed quadrifidam, labio nempe ſuperiore ſimplice emarginato; inferiore trifido; Linnæus denique in Syſt. Nat. XIII. Tom. 2. p. 426. Nro. 790. corollæ limbum ſexfidum. In rigore certe, bilabiatam mentitur, limbo inæqualiter quinquefido; &c.

CCXXXVIII.

BUPLEURUM RANUNCULOIDES.

Bupleurum involucellis pentaphyllis lanceolato - ſubariſtatis umbellulas excedentibus; univerſali ſubtriphyllo, umbellis elongatis breviore; foliis lineari - ſubfalcatis; ſummis lanceolatis amplexicaulibus.

Bupleurum involucellis pentaphyllis lanceolatis longioribus, univerſali triphyllo, foliis caulinis lanceolatis. *Linn. ſpec. plant. pag.* 342. *num.* 9. *Allion. flor. ped. II. p.* 23. *num.* 1352. *Gmelin. flor. ſibir. I. p.* 208. *num.* 23.

Perfoliata minor foliis gramineis. *Joh. Bauh. III. p.* 199. ſed folia caulina non bona.

Bupleurum foliis radicalibus gramineis, caulinis ovato - lanceolatis amplexicaulibus; calycibus umbellarum quinquefoliis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. I. p.* 343. *num.* 770. Var. b.

Bupleurum montanum gramineo ſolio. *Scheuchz. it. alp. I. p.* 31.

Ma-

Maxima hoc creſcit in copia in Valle Canalenſi prope Malborgetto in ſubalpinis calcareis rupeſtribus. Radix ſat gracilis, perennis tamen, ſubligneſcens, & fuſiformis, in plures quoque interdum diviſa, radiculis fibroſis longiuſculis ſparſim obſita, extus ex fuſco nigra, jam recta, jam & in horizontem obliqua non raro, rupes intra in terram demergitur. Ex ea caulis quotannis, plurima inter folia radicalia, exuviis veterum ſepta tabeſcentibus, enaſcitur, cubiti rarius altitudine, baſi quandoque ſemidecumbens, teres, gracilis, firmus, lævis, viridis, tamen & baſin verſus obſcure ruber, foliis aliquot (5 aut 6) longiora per intervalla obſitus alternis, parce, nec niſi ex caulinorum foliorum axillis ramoſus. Folia radicalia copioſa, dimidii fere caulis longitudine, anguſta, graminea, lineari-ſubfalcata, acuta, baſin verſus attenuata, cæterum nuda, plana, ſubtus ſtriata, & cum tempore firma, colore caulis, & ipſa quoque nonnumquam baſi rubentia. Folia dein caulina ſeſſilia, alterna, nuda, ſemiamplexicaulia, ſubtus ſtriata. Inferiora longa, lineari-lanceolata, ſuperiora ſenſim minora, & ex ovata velut baſi, lanceolata; nullis tamen unquam (ut Bauhini exhibet figura) ſive liberis, ſive adnatis auriculis caulem amplexantia. Caulis, ramique, qui erecto-patentes ſunt, ſimplice terminantur umbella univerſali, eaque ſat paupere, ſed elongata; radiis nempe ejusdem (a 5 ad 8) involucrum univerſale longe excedentibus; foliolis hoc conſtat lanceolatis, planis, binis, aut ternis, inæqualibus, nec umquam pluribus, etiam interdum unico duntaxat. Umbellularum contra involucella ſemper pentaphylla, foliolis ovato-lanceolatis, ſubariſtatis, æqualibus, planis, ſtriatis, floſculos ſuperantibus, primum patentiſſimis, tum reflexis, & perſiſtentibus. Flores in umbellulis ſex, octo, decem, breviſſime pedicellati. Calyx germini ovato-truncato, nudo, ſtriato inſidens, breviſſimus, quinquedenticulatus, erecto-pa-

tens. Corolla pentapetala, flava; petalis integris, lanceolatis, ſurſum involuto - inflexis, patentibus, cadivis. Stamina quinque corollis longiora, filamentis antherisque flavis. Gibberes bini contigui flavi, germini intra calycem inſidentes. Styli bini divergentes, ſtigmatibus ſimplicibus. Semina duo oblongo - ſubovata, hinc plana, inde fuſca, convexa, & profunde ſtriata.

CCXXXIX.

BUPLEURUM ODONTITES.

Bupleurum involucris, involucellisque flores ſuperantibus, pentaphyllis, lanceolatis, ariſtatis, erecto demum conniventibus; foliis lineari - lanceolatis; caulibus divaricato - ramoſis.

Bupleurum involucellis pentaphyllis, acutis; univerſali triphyllo; floſculo centrali altiore; ramis divaricatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 342. *num.* 7. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 210. *num.* 348. *Gerard. gallopr. pag.* 233. *num.* 4. *Allion. flor. pedem. II. p.* 23. *num.* 1354. *Jacq. hort. vindob. III. p.* 47. *tab.* 91.

Bupleurum caule brachiato, involucris utrisque pentaphyllis, ariſtatis, petiolos excedentibus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. I. pag.* 344. *num.* 772.

Perfoliatum anguſtifolium montanum. *Column. ecphraſ. p.* 84. *tab.* 247.

Auriculæ leporis affinis, odontitis lutea valerandi. *Joh. Bauh. III. pag.* 201.

Bupleurum minimum anguſtifolium. *Scheuchz. it. alp. I. p.* 32. Videtur.

Me-

Medææ olim triginta ante annos plurimum in cognomine legimus monte una cum Diantho prolifero, Convolvulo Cantabrica, aliisque; tum per omnem, qua late patet Carſchum, Japodumque montes, cum Bupleuro ſemicompoſito, junceo &c. Veniam dabit proſtantiſſimus Jacquinius, quod plantam ab eo jam quidem propoſitam, ſed in horto nimium quam eluxuriatam, & qualis nuſpiam ſpontanea reperiatur, iterum reſumendam exiſtimaverim. Stirpi annuæ radix eſt gracilis tenuis, filiformis, longa, nunc ſimplex, alias in duo, triave, ſibi ſimilia, divaricata brachia, radiculis parce obſita fibrilloſis, cæterum nuda, alba, ſicca, ac cum tempore rigida, & velut ſubligneſcens. Caulem profert raro ſpithama altiorem, breviorem plerumque, vix dimidiæ pennæ anſerinæ craſſitudine, ſiccum, rigeſcentem, glabrum, viridem, ex tereti - anguloſum, baſi ſubdecumbentem, ex foliorum axillis divaricato - ramoſum. Folia tam radicalia, quam caulina anguſta, lineari - lanceolata, dimidiam lineam lata, apice ariſtata, ſicca, rigeſcentia, ſtriis ſubtus tribus percurſa; caulinis præterea ſeſſilibus, arcte ſemiamplexicaulibus, ac per caulem etiam utrinque ſubtiliter decurrentibus, ramisque ſuis axillaribus fere appreſſis. Rami ex axillis divaricati, & ipſi rurſum eodem modo breviter ramuloſi. Umbellæ ſat copioſæ; terminales, & nonnumquam laterales, breviter pedunculatæ, non tam ſteriles, quam verius ad maturitatem non pervenientes. Univerſales radiis plerumque quinque, inæqualibus, haud longis, centrali ſubſeſſili; involucro fere conſtanter pentaphyllo (rarius tetraphyllo) foliolis pedunculos radiorum tantiſper excedentibus, inæqualibus, lanceolatis, ariſtatis, ſubtus triſtriatis, extra floreſcentiæ tempus erecto - conniventibus. Umbellulæ floſculis duodecim circiter, breviſſime pedicellatis, fertilibus; involucellis ſemper pentaphyllis; foliolis æqualibus, ovato - lanceolatis, ariſtatis, ſubtus triſtriatis, floſculos excedentibus, floreſcen-

tiæ tempore patentiſſimis, alias erecto - conniventibus, perſiſtentibus. Germen inferum, nudum, ſtriatum, coronatum calyculo exiguo, quinquedenticulato. Corolla pentapetala, æqualis, flava; petalis, lanceolatis, apice ſurſum involuto - inflexo, repando - ſubemarginato. Stamina quinque, corollis tantiſper longiora, alterno cum petalis ſitu, patentiſſima, decidua, filamentis, antherisque flavis. Gibberes conſueti germinibus inſidentes, flavi. Styli duo divergentes, ſtigmatibus ſimplicibus. Semina duo, ovato - oblonga, fuſca, hinc convexa & profunde ſtriata, inde plana.

CCXL.

MONOTROPA HYPOPITHYS.

Monotropa ſpica florente nutante; floribus lateralibus octandris, terminalibus decandris.

Monotropa floribus lateralibus octandris, terminali decandro. *Linn. ſpec. plant. pag.* 555. *num.* 1. *Allion. flor. pedem. I. p.* 280. *num.* 1022. *Gmelin. flor. ſibir. IV. pag.* 177. *num.* 98. *Pollich. palat. I. pag.* 402. *num.* 393. *Leerſ. flor. herborn. p.* 101. *num.* 305. *Oeder. flor. dan. tab.* 232.

Hypopithys ſpica florida nutante. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. I. p.* 427. *num.* 1002. *Scopol. flor. carn.* 2. *I. p.* 285. *num.* 178.

Orobanche Verbaſculi odore. *Plukenet. phytog. tab.* 209. *fig.* 5. *Alm. pag.* 273.

Fre-

Frequens in ſylva magna umbroſa *hinter dem Werterſee*, paraſitice accreſcens radicibus Fagorum, Quercuum &c. inter decidua ſemitabeſcentia arborum folia, ſuperiorum annorum; florens Julio. Paraſitica ſtirps, indole, facieque Lathrææ, aut Orobanches, quanta quanta eſt, nonniſi ſcapo ſquamis imbricato, & racemo florum ſubſpicato terminali conſtat, unicolor, partibus dilute flava omnibus. Spithamam ſcapus plus, minus, altus, auricularem vixdum craſſitudine æquat digitum, ſimpliciſſimus, erectus, teres, nudus, aphyllus, ſquamis undique ſparſis, carnoſis, concoloribus, ſeſſilibus, oblongo-ovatis, integris, erectis imbricatus. Is baſin verſus tantillum attenuatus, ipſa ſua, radicibus arborum, baſi adhærere verius, quam increſcere videtur, ἀῤῥίζος tamen, probe inſpectus, haud eſt; viticulam certe oblique horizontalem, teretem, albam, fibrillis rariter adſperſam numquam non de baſi emmittit repentem; hæc eidem radicis eſt loco. Summum ſcapum racemus ſpicæformis floralis occupat, floreſcentiæ tempore ſemper nutans, nec niſi peracta antheſi erectus. Hunc decem plus minus conficiunt flores, magni, oblongi, breviter pedunculati, erecti, ſinguli ex axilla ſquamæ bractealis ovatæ, obtuſæ, reliquarum ſimilis. Flores duum generum; ſummi, non unus duntaxat, ſed aliquot, decandri quinquecapſulares, calycibus, corollisque pentaphyllis; reliqui inferiores omnes octandri quadricapſulares, calycibus corollisque una quinta paucioribus. Foliola calycum corollis duplo breviora, ex ovata, & gibba baſi obtuſe lanceolata, flava, nuda, nitentia, erecta, extus teretia, intus baſi concava, mellifera. Corolla itidem flava, petalis oblongis, obovatis, erectis, nitentibus, in cylindrum campanulatum velut ordinatis, baſi utrinque breviter appendiculatis, limbo apicum obtuſo, ſubtiliter crenulato, erecto-patente. Stamina flava, erecta, calycis, non corollarum altitudine, alternis tantillo brevioribus. Filamenta ſubulata. Anthe-

Antheræ nigricantes, polline albo. Piſtillum flavum, ſtaminibus, non item corolla altius, forma lagenæ, aut ampullæ, baſi ſeu germine ventricoſum, ſubgloboſum, pro floris ratione, quatuor aut quinque ſulcis exaratum; collo ſive ſtylo, brevi, anguſtiore, ſtrangulato; oſculo ſummo, ſive ſtigmate infundibuliformi, dilatato, effuſo, obſcure quadri - aut quinquelobo. Capſula aliis in floribus quinquelocularis quinquevalvis, in aliis quadrilocularis quadrivalvis. Semina plurima ſcobiformia. Odor ingratus Primulæ veris acaulis.

CCXLI.

SCHOENUS MARISCUS.

Schoenus culmo terete lævi; foliis margine, dorſique carina retrorſum ſerrulato - aculeatis.

Schoenus culmo tereti; foliis margine, dorſoque aculeatis. *Linn. ſpec. plant. p. 62. num. 1. Necker. delic. gallobelg. p. 21. num. 1. Allion. flor. ped. II. p. 278. num. 2372.*

Gramen Cyperoides altiſſimum, foliis & carina ſerratis. *Boccon. ſicil. p. 72. tab. 39. fig. 2.*

Pſeudocyperus paluſtris, foliis, & carina ſerratis. *Scheuchz. agroſt. pag. 375. num. 1. tab. 8. fig. 7. 8. 9. &c.*

Mariſcus panicula ramoſa, foliorum oris, dorſoque ſerratis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II. p. 179. num. 1343.*

Cyperus longus inodorus ſylveſtris. *Lobel. adverſ. p. 37. Joh. Bauh. II. pag. 503. fig. p. 504.*

Flo-

Floret menſe Julio ad lacum Lengſee prope ſanum ſancti Georgii. Radix perennans, repens, ceſpites culmorum, trium, quatuor, & quinque pedum altitudine proferens, foliaque permulta, ipſos quandoque culmos excedentia. Culmi erecti, teretes, læves, farcti, digitum auricularem craſſi, articulati, virides, geniculorum nodulis atro-rubentibus interſtincti, alternatim folioſi, & ex foliorum axillis ramoſi, ſeu pedunculis florigeris, apicem verſus paniculato-corymboſis ornati. Folia tam radicalia, quam alterna culmea (& hæc quidem ad articulorum genicula culmum longe vaginantia) erecta, elongata, plano-ſubtriquetra, acutiſſima, lævia, ſupra virentia, ſubtus obſolete e virore ſubglauceſcentia, perque marginum inferne oras, dorſique carinam exſtantem retrorſum ſerrulato-aculeata, aculeis inæqualibus, duris, uncinato-incurvis. Rami ſeu pedunculi panicularum, alterni, axillares, erecti, articulos culmi reſpondentes excedentes, tenues quidem, attamen firmi, hinc convexi, ſeu teretes, inde plani, utrinque læves, involuti baſi folio ſive ſquama paleacea ſcarioſa perſiſtente; apice paniculam florum corymboſam ſuſtinentes; floſculis in pedicellorum apice aggregatis, faſciculatis, ſeſſilibus, oblongis, tereti-ovalibus, caſtaneo-rufis; conſtantibus calyce ex ſquamis pluribus (5-6) oblongo-ellipticis, rufo-paleaceis, inæqualibus, concavis, extra floreſcentiæ tempus ſubimbricato-conniventibus, compoſito. Corolla cæteroquin alia nulla; ſtaminibus tribus, quorum filamenta capillaria, alba, antheræ oblongæ, flavæ; tum germine, ex ſubtriquetra baſi, oblongo-ovato, in ſtylum velut attenuato, ſtigmateque trifido coronato. Semen læve, nitens, nigricans, ex triquetra baſi ovato-acuminatum.

CCXLII.

SCHOENUS COMPRESSUS.

Schoenus culmo teretiuſculo - ſubtriquetro, nudo; ſpica ſecunda diſticha; involucro monophyllo; floſculis uniglumis.

Schoenus culmo ſubtriquetro nudo; ſpica diſticha; involucro monophyllo. *Linn. ſpec. plant. p.* 65. *num.* 10. *Gerard. galloprov. p.* 119. *num.* 2. *Pollich. palat. I. pag.* 35. *num.* 38. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 9. *num.* 32. *tab.* 1. *fig.* 1. optime. *Allion. flor. pedem. II. p.* 278. *num.* 2375.

Scirpus planifolius, ſpica terminante diſticha. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. II. p.* 179. *num.* 1342.

Gramen Cyperoides, ſpica ſimplice, compreſſa, diſticha. *Scheuchz. agroſt. p.* 490. *num.* 1. *tab.* 11. *fig.* 6. *Plukenet. almag. p.* 173. *phytog. tab.* 34. *fig.* 9.

Cyperella montana ſpicata, radice repente, caule rotundo - triquetro, ſpica fuſca, compreſſa, diſticha, ſemine cinereo. *Michel. n. gen. pl. p.* 53 *ord.* 2.

Floret medio Junii in uliginoſis declivibus montis Ulrichsberg, in aſcenſu ex Lind pago, una cum Carice capitata Linnæi &c. Radix horizontalis, repens, articulata, teres, exuviis veterum foliorum tabidis obducta, actis ex geniculorum internodiis fibris nixa, culmos ceſpitoſe effert ſpithamales, & ultra. Culmi ex tereti obtuſe ſubtriquetri, ſaturate virides, læves, baſi, & paulo ſupra baſin folioſi, cætera nudi, & aphylli, apice ſpica florum (11. 13. aut 15.) oblonga, ſecunda, compreſſa, diſticha, ex folio involucrali vaginante, ipſam ſpicam interdum excedente,

ter-

terminati. Folia tam radicalia, quam quæ ex infimo oriuntur culmo, ipsum non raro culmum superantia, nuda, lævia, vaginantia, saturate viridia, supra primum canaliculata, & subtus teretiuscula, dum cum tempore precise planiuscula reddantur, cæterum angusta, linearia, culmo haud multum latiora. Involucrale præterea longiusculum in mucronem abiens. Culmi summa pars, sive communis spicæ rachis, undato-flexuosa, spiculas alternatim sessiles, oblongas, erecto-patentes, distiche in eodem plano, ac satis stipate suspendit ordinatas, coloris spadiceo-fuscescentis, singulas ex squama bracheali, sive involucro glumæformi simplice lineari-lanceolato, spiculæ subæquali. Flosculi quavis in spicula usque duodecim fasciculatim subimbricati, & subæquales, oblongi; singuli calyce proprio uniglumi lanceolato spadiceo-fuscescente, linea medium per dorsum viridi exarati; corolla præterea nulla. Tria itidem singulis stamina glumam æquantia; filamentis capillaribus albis; antheris dilute flavis, linearibus, exertis. Germen ovatum, nudum, sessile, obvallatum setulis capillaribus, albis, erectis, gluma brevioribus, sex circiter. Stylus capillaris, albus, calycis longitudine, stigmatibus duobus (nec tribus) ciliato-penicilliformibus, albis. Semen obtuse subtriquetrum, acuminatum, nudum, setulis obvallatum sex. *Observ.* Schoenis plerique cum Linnæo adnumerant hodie; nec altercabor; quamvis ob flosculos uniglumes melius cum Hallero Scirpos inter recenseretur.

CCXLIII.

CAPPARIS SPINOSA.

Capparis pedunculis ſolitariis unifloris; ſtipulis ſpinoſis; foliis annuis; capſulis ovalibus. *Linn. ſpec. plant. p.* 720 *num.* 1. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. II.* p. 25. *num.* 1077. *Scop. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 367 *num.* 632. *Allion. flor. pedem. I. p.* 293. *num.* 1069. *Gmelin. flor. ſibir. IV. p.* 179. *Joh. Bauh. II. pag.* 63.

Capparis. *Matthiol. in dioſc. p* 293. *cap.* 169. *fig. p.* 294. *Lobel. obſerv. p.* 359. *& adverſ. p.* 281.

Capparis ſicula, duplicata ſpina, folio acuto. *Boccon. ſicil. p.* 79. *tab.* 42. *fig.* 3.

Obducit rupes ſub Caſtello Duinenſi comitum De la Torre, muros etiam Arcis: frequens etiam in Dornberg ſupra muros; tum Gradiſcæ ad Liſonzium. Radix perennis, in multa diviſa brachia, ſecus rupes diſcurrit diffuſa, radiculis hinc inde obſita fibroſis. Caules ex ea, ſarmentorum inſtar, plures, undique diffuſi, proſtrati, teretes, glabri, foliis annuis, alternis obſiti, ſunt ea breviter petiolata, circumſcriptione obtuſe ovata, tamen & interdum ovato - acuta, etiam apice quandoque nonnihil retuſa; vidi etiam fere ſubcordato - ovata; cæterum integra, nuda, glabra, ſaturate viridia. Stipularum loco aculei bini, retrorſum incurvi, ad petiolorum latera hærent, primum exigui, molles, & innocui, at durandi demum in pungentes uncinatas ſpinas. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, foliis longiores, teretes, ex viridi demum rufeſcentes, primum patentiſſimi, tandem penduli. Flos magnus, ſpecioſus. Calyx tetraphyllus, foliolis ovatis,

tis, integris, concavis, ſubcoriaceis, nudis, ſaturate viridibus, per oras rufeſcentibus, exterioribus binis latioribus. Corolla tetrapetala, calyce major, petalis rotundatis, apice obtuſe emarginatis, patentibus, albis, attamen amœna cum rubedinis tinctura leviter oblitis. Stamina plurima, ipſam longitudine corollam excedentia; filamentis rubris; antheris contra flavis. Germen ovale, elongato-pedunculatum, inſiſtens ſcilicet pedunculo craſſiuſculo rubro, ipſa ſtamina longitudine excedenti. Stylus nullus. Stigma parvum, ſeſſile, obtuſum. Fructus bacca carnoſa, ovalis, elongato-ſtipitata, unilocularis, polyſperma.

CCXLIV.

PÆONIA OFFICINALIS.

Pæonia radicibus concatenato-tuberoſis, foliis bipinnatis, pinnis lanceolatis, extimis digitato-bi-trilobisve.

Pæonia foliis oblongis. *Linn. ſpec. plant. pag.* 747. *num.* 1. *Gerard. gallo-prov. p.* 382. *num.* 1. *Scop. flor. carn. 2. tom.* 1. *p.* 378. *num.* 650. *Allion. flor. ped. II. pag.* 107. *num.* 1680.

Pæonia radice glanduloſa; foliis duplicato-pinnatis ellipticis & trilobis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. II. p.* 81. *num.* 1187.

Pæonia. *Matthol. in dioſc. pag.* 419. *cap.* 140. *Lobel. obſerv. pag.* 390. & *adverſ. p.* 305. *Joh. Bauhin. III. p.* 492. *Seguier. veron. I. p* 482. *Dodon. pempt. p.* 194. *Dalechamp. p.* 856. & *p.* 857. *Tabernæm. p.* 1171. *Fuchſ. p.* 202.

Maxima in copia verſus ſummitatem Carſchi ſupra Tergeſtum inter Obzinam & San Servolo, tum & ſiniſtrorſum verſus Contovel, intra rupes ubivis, florens jam Aprili. Marem Veterum, ab eorumdem fœmina haud diſtinguo. Et ſimul promiſcue creſcunt, & ſpeciem alterare nequit pinnarum extima, dum profunde modo, aut profundiſſime digitato - triloba eſt; certe & digitato - quadrilobam, imo & inæqualiter quinquelobam vidi. Corrugare autem frontem, ob neſcio quam imaginariam, uti in Mandragora, radicis diverſitatem, indignum utique foret. Radix Pæoniæ multiplex, perennans, ex pluribus compoſita tuberibus napiformibus, oblongis, aut ſubrotundis, velut concatenatis, in fibram teretem denique abeuntibus, fibrillisque hinc inde obſitis, extus dilute rubentibus, intus albis. Caulis erectus, ſungoſus, firmus, ex tereti anguloſus, lævis, folioſus, & ramoſus, baſi ſanguineus, ceterum viridis, at cum tempore maculis rubris variegatus, pedalis plus minus altitudinis. Folia bipinnata, ampla, pinnis ſubcoriaceis, longis, lanceolatis, ſubſeſſilibus, baſi utrinque nonnihil decurrentibus, ſupra ſaturate nigro - viridibus & nudis, ſubtus aquoſe viridibus, halituque albido - glauceſcente oblitis, rubro - nervoſis, & ex brevi, cadivaque pube villoſulis; impare ſeu extima profunde digitato - triloba, tamen & bi - quadrilobave, & interdum inæqualiter quinqueloba, lobis & ipſis lanceolatis. Axis earumdem communis teres, ſulco ſuperne longitudinali exaratus, maculis cum tempore ſaturate ſanguineis adſperſus. Rami pauci, folioſi, &, uniflori, eamdem cum principali caule adſcendentes altitudinem. Calyx pentaphyllus, foliolis coriaceis, perſiſtentibus, ovato - acutis, concavis, extus ex pube, demum cadiva, villoſulis. Corolla calyce major, pentapetala, petalis dilute rubris, amplis, rotundatis, baſin verſus nonnihil anguſtatis, & albeſcentibus, concavo - patentibus, deciduis. Stamina numeroſiſſima, calyce breviora, rubra, an-

the-

theris flavis oblongis quadrangulis. Germina duo, triave, erecta, ovato - oblonga, tomentosa. Styli nulli. Stigmata fungosa, plano - compressa, obtuse adunca, flaventia. Capsulæ duæ, tresve, ovato - oblongæ, erectæ, apicem versus divergendo - patentes, obtuse uncinatæ, interiore acie longitudinaliter dehiscentes, extus tomentoso - villosæ, intus lævis, rubræ, uniloculares, univalves, polyspermæ, seminibus ovato - oblongis, lævibus, nitentibus primum rubris, tum pallide purpurascentibus, denique nigris; suspensis alternatim lateri interno longitudinali valvulæ hianti. Odor gravis, teter, ex contactu, & affrictu omnium partium.

CCXLV.

GYPSOPHILA MURALIS.

Gypsophila foliis linearibus, planis; calycibus aphyllis; caule multiplicato - dichotomo, ramosissimo; petalis crenulatis.

Gypsophila foliis linearibus planis, calycibus aphyllis, caule dichotomo, petalis crenatis. *Linn. spec. plant. p.* 583. *num.* 11. *Allion. flor. pedem. II. p.* 78. *num.* 1562. *Pollich. palat. I. p.* 414. *num.* 406. *Leers. flor. herb. p.* 103. *num.* 316.

Saponaria foliis filiformibus, caule diffuso, brachiato. *Haller. hist. stirp. helv. I. p.* 394. *num.* 903.

Caryophyllus minimus muralis. *Seguier. veron. I. p.* 439. *Zanichel. pag.* 53. *tab.* 70. optime.

Betonica, sive Tunicæ minimæ similis planta. *Joh. Bauh. I. p.* 338.

Ha-

Habitat in aggeribus muralibus, e lapidibus & terra exſtructis, ad S. Martinum prope Clagenfurtum. Similis Gypſophilæ ſaxifragæ, & rigidæ Linnæi, quibuscum paſſim a Seguierio, Zanichellio, aliisque confunditur, adeo tamen vere ſpecie ab utraque differt, ut non Allionius modo, ſed Hallerus ipſe, a Gypſophila ſaltem ſaxifraga, etiam genere ſeparaverint. Dum hanc quidem Gypſophilis cum Linnæo Allionius, Hallerus contra Saponariis adſociavit; illam vero ad Dianthos Scopolius, Hallerus, Allioniusque, prout olim Linnæus ipſe, relegarunt. Sed calyce tamen Gypſophila ſaxifraga haud quaquam cum Dianthis, imo cum ſui generis aliis Repente, Murali &c. convenit, utut cætera, Dianthorum inſtar, adnexas ad calycum baſin ſquamulas illas involucrales habeat. Eſt Gypſophilæ murali non, ut reliquis, perennis, ſed annua radix, gracilis, filiformis, ſparſis obſita fibrillis, albida, lenta, exſiccatione ſubligneſcens. Caulis prætenuis, teres, articulatus, geniculis infimis nodoſis, atro-rubentibus, baſi decumbens, cæterum meris ex dichotomiis ramoſiſſimus, diffuſus, lævis, gramineo-viridis, nec incanus. Folia ad geniculorum duntaxat, dichotomiarumque baſes oppoſita, eaque linearia, anguſtiſſima, plana, glabra, ſeſſilia. Flores ſimplices, parvi, oblongi, ſinguli pedicello tenui, longiuſculo inſidentes, & nudi. Calyx campanulatus, quinquedenticulatus, erectus, oblongus, corollis fere duplo brevior, aphyllus, ſeu nullis baſi vallatus ſquamulis, lineis quinque longitudinalibus ſaturate viridibus, & quinque alternis albidis pictus. Corolla pentapetala, petalis oblongo-obovatis, integriuſculis, obſcure crenulatis, limbo erecto-patente, incarnato-rubello, lineis ſaturatius rubris picto, inſiſtente unguí erecto, albo, calycis longitudine. Stamina decem calycis itidem longitudine, alternis brevioribus; filamentis ſubulatis, albis; antheris albido-luteſcentibus. Germen ovatum, nudum. Styli duo albi, ſtigma-

ti-

tibus ſimplicibus. Capſula unilocularis, quinquevalvis; polyſperma. *Obſerv.* Zanichellii figura certe eſt bona, meritoque a Seguierio laudata, habitum enim ſtirpis exprimit, peccat in eo quod calycibus ſquamulas adjunxit, nec mirum, quia, ut ſynonymia Autoris palam facit, cum Gypſophila rigida, & ſaxifraga, eamdem credidit, aut confudit, perinde ac Seguierius ipſe, cujus cæteroquin deſcriptio optima, nullam ſquamularum calycinarum mentionem faciens. Confuſionum harum autorem Scopolius Joh. Bauhinum ſuſpicatur; at perperam; probe is inter annuam, & perennem diſtinxit ſtirpem; hæc, quam Betonicam coronariam vocat, Gypſophila Linnæi ſaxifraga eſt, quam cum Tunica minima Dalechampii (utpote Gypſophila rigida L.) conjungere non debebat. Illa, quam Tunicæ hinc minimæ plantam ſimilem dicit, & annuam diſerte aſſerit, Muralis Linnæo audit Gypſophila; cujus deſcriptioni (ſi calycem forſan folioſum demas) nihil eſt, quod opponas.

CCXLVI.

SPARTIUM JUNCEUM.

Spartium ramis oppoſitis, teretibus, apice floriferis, foliis lanceolatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 995. *num.* 2. *Gerard. galloprov. p.* 480. *num.* 1. *Allion. flor. pedem. I. p.* 339. *p.* 1258.

Spartium Dioſcoridis, Geniſta Plinii. *Cluſ. hiſt. p.* 102. *Lobel. obſerv. p.* 532. *adverſ.* 408. *Matthiol. in dioſc. p.* 533. *cap.* 152. cum peſſima figura; etſi ſpontaneum in Littorali.

Geniſta juncea. *Joh. Bauh. I. part.* 2. *p.* 395. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 50. *num.* 870.

Frequens in montibus Tergeſto adſitis; etiam ad ſepes quondam Jordani (27. Majii an. 1761.) inveni florens, via, qua ad Rocca di Cormons, itur. Duorum, triumve communiter cubitorum frutex, in altitudinem demum ſubarboreſcit juſtæ hominis ſtaturæ ſubæqualem. Radice eſt perenni, demum lignea, varia inordinate in brachia diviſa. Ejus caudex, qui juncei primum inſtar viminis, tereti-ſubulatus, viridis, lævis, lentus, & frangi impatiens eſt, & ipſe labentibus annis in truncum convaleſcit ligneum, durum, cortice extus fuſceſcente, rimoſo, obductum, cannæ plus minus (ut dicimus) hiſpanicæ craſſitudine, ramoſiſſimum. Rami longa per intervalla ſemper oppoſiti, & erecti, & ex eorum axillis alii, illis ad amuſſim ſimiles; unde demum ſcopæ ſimilis arbuſcula. Eorum veteres (plurium nempe annorum) principali ſimiles caudici, in lignea abeunt, erectaque, & nuda brachia; novelli contra, ſive annui, junceārum inſtar virgarum, flecti faciles, ſaturate virent, lævigatiſſimi, utut prima in ætate, quum ſcilicet embryonibus duntaxat florum onuſtæ eorumdem ſunt extremitates, ſericeo argenti albore niteant, ob brevem, niveamque, & decumbentem pubem, ſerius cadivam. Folia reſpective pauca, eaque brevi decidua, ut deinceps aphyllas pene virgas credas; quæ adſunt, plerumque inferiores virgarum partes occupant, rariter ſparſa; nonnumquam oppoſita, ut plurimum vero, haud remote alterna, ſubſeſſilia, ſive & breviter petiolata; nullis (etſi contrarium Gerardus adſerat) vallata baſi ſtipulis; cæterum obtuſius, aut acute magis ovali-lanceolata, plana, integerrima, ſupra nuda, & ſaturate viridia, ſubtus ex pube alba & decumbente ſericeo-argentata; unam communiter duasve lata lineas; integrum nonniſi rarius longa pollicem. Flores papilionacei, magni, elegantes, ſaturate flavi, nudi, nitentes, odori, per ſuperiorem virgarum partem in racemum ſubſpicatum longum, laxe ordinati, breviter ex axilla bracteolæ

exi-

exiguæ & cadivæ pedunculati; pedúnculo, bracteolaque villoſis. Calyx monophyllus, ſubtubuloſus, compreſſus, ovato - acutus, ſuperne ſub vexillo ad baſin fere usque hians, inferne ſub carina productior, acutus, apice breviter quinquedenticulatus; primum viridis & pubeſcens, tum flavus, demum ſubſcarioſus, membranaceo - ſubſpathaceus, & perſiſtens. Corolla calyce multo major. Vexillum maximum, amplum, ovato - acutum, integrum, dorſo primum longitudinaliter compreſſum, tum patens, & ſurſum reflexum. Alæ carina minores, oblongo - obovatæ, concavo - conniventes. Carina falcato - navicularis, adſcendens, acuta, dorſo medio longitudinaliter ex pube villoſa, primum bipes, tum a baſi apicem verſus in duo velut petala dehiſcens. Stamina decem, connata inferne, denticulis filamentorum ſenſim longioribus, ſupremo minimo. Antheræ oblongæ acutæ flavæ. Germen breviſſime pedunculatum, oblongum, ex pube ſericeo-argentata nitens. Stylus ſubulatus, adſcendens. Stigma oblongum, ſtyli apici ſubtus adnatum, villoſum. Legumen oblongum, lineare, obtuſum, compreſſo - ſubcylindraceum, tandem nigrum, albido - villoſum, unilocular, bivalve, polyſpermum.

CCXLVII.

SPARTIUM RADIATUM.

Spartium ramis oppoſitis, tetragonis, ſtipula foliorum perſiſtente ſultis, apice umbellatim floriferis; foliis ternatis, linearibus, ſubverticillatis.

Spartium foliis ternatis linearibus ſeſſilibus; petiolis perſiſtentibus, ramis oppoſitis angulatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 996. *num.* 9.

Geniſta ilvenſis. *Dalechamp. hiſt. p.* 174. *Pona apud Cluſ. pag. CCCXLVII.*
Geniſta radiata, ſive ſtellaris. *Joh. Bauh. I. part.* 2. *p.* 399. *Seguier. veron. II. p.* 316. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 51. *num.* 871.
Spartum minimum montanum triphyllon. *Column. ecphr. pag.* 295. *fig. pag.* 294.

Maximus hujus proventus in alpibus Lithopolitanis ſupra fanum S.S. Primi, & Feliciani; tum & in alpibus Vallem Rablenſem vallantibus, ubi *Zattach* audit. Fruticulus pedem plus minus altus, anſerinæ baſi vixdum pennæ craſſitudine, e radice terete, ramoſa, lenta, ligneſcente perennans, ipſaque jam a baſi ramoſiſſimus, neſcio qua Equiſeti facie prætereuntis advertit oculum. Caudex, & qui eidem paulo ſupra baſin alternis ex oppoſitionibus naſcuntur rami, quique cum e radice pullulavere primum, tetragoni, virides, herbaceique fuere, præterlapſis nunc demum annis aliquot, ſemilignei, exaridi, obſolete e flavo - fuſceſcentes, maximam partem nudi, teretiuſculi, & ſtriati, ſqualent ſubdecumbentes, novellis, quotannis iterum, alternas per oppoſitiones, earumque continuatas axillas, reviviſcentes ramis equiſetiformibus, gracilibus, erectis, obtuſe tetragonis, quadriſtriatis, firmis, & viridibus quidem, attamen ex breviſſima ſimul, & decumbente; nec cadiva, pube, ſericeo - ſubalbentibus, ſcabriuſculisque. Minus itaque recte J. Bauhinus in tres caulem iteratas per vices abire ramos inquit, qui ramos, ramorumque omnium ramos, conſtanter, ut cum Linnæo Seguierius aſſerit, oppoſitos duntaxat habet. Idem & de iis, intelligas velim, ramis, qui fruticulo ex priorum identidem axillis ramorum enaſcuntur, erecti, equiſetiformes pariter. Flores nuſpiam, quam in novellorum ramorum extremo apice, iique, non ut cum Lugdunenſibus Joh. Bauhinus exhibuit, racemoſo - ſubſpicati, ſed velut in

um-

umbellam aggregati, duo, tres, quatuorve, ſummum quini, breviſſime ex axilla ſinguli exiguæ bracteolæ pedicellati, ſive ſubſeſſiles, erecto - patentes. Eorum calyx duplo minimum corollis brevior, tubuloſo ſub acuto angulo, eſt bilabiatus, ſubcompreſſus, ſubcoriaceus, ex luteo virore rufus demum, villisque incanis decumbentibus obſitus; labio ſuperiore ſub vexillo, breviore, & bifido; inferiore contra nonnihil productiore ſimplice, acutiuſculo, apice breviſſime tridenticulato. Corolla papilionacea, flava partibus omnibus. Vexillum oblongo - obcordatum, apice ſcilicet obtuſum, & breviter crenato - emarginatum, extus primum albido - pubeſcens, alis quidem longius, ſed brevius carina, apice reflexo - patens. Alæ lineari - obovatæ, ungui de more inſiſtentes, cum denticulo laterali minore. Carina lineari - ſubnavicularis, obtuſiſſima, bipes, demum duas in partes longitudinaliter disrupta, recta primum adſcendens, tum deflexa, extus ex villis albido - ſericeis nitens. Stamina decem inferne connata, filamentorum apicibus capillaceis, ſenſim longioribus, ſummo breviſſimo. Antheris oblongis acutis flavis. Germen oblongum, lineare, compreſſum, ex villo ſericeo albo decumbente nitens. Stylus ſubulatus adſcendens; ſtigma ſtyli apici ſubtus connatum, planiuſculum villoſum. Legumen breve, rhombeo - ſubovatum, apice oblique acuminatum, acumine adſcendente ſubuncinato; cæterum compreſſiuſculum, extus fuſceſcens, at villo decumbente, ſericeo - incano denſe obſitum; uniloculare, bivalve; ſeminibus tribus, quatuorve reniformi - orbiculatis, compreſſis, nudis, atris, nitentibus; quibusdam interdum abortientibus. Folia ternata, ad ſingulorum ramorum, ramulorumque exortum oppoſita, velut in verticillum ordinata; ſtipula communi brevi, ovato - concava, dorſo gibba & tricarinata, ipſo, quem fulcit, ramulo, craſſiore, virente primum, tum ligneſcente, & perſiſtente; foliolis contra anguſtis, brevibus, lineari - lanceolatis,

ex pube exigua decumbente & ſcabriuſcula, viridi - ſubincanis, & deciduis.

CCXLVIII.

ARENARIA MARINA.

Arenaria foliis pulpoſis ſemicylindraceo - ſubulatis; ſtipulis membranaceis, connato - amplexicaulibus, ovato - acutis.

Alſine Spergulæ facie media. C. B. *Zanichel. pag.* 8. *tab.* 155. *Oeder. tab.* 740.

Arenaria marina. *Allion. flor. pedem. II. p.* 114. *num.* 1717. *Rupp. flor. jenen. p.* 113.

Spergula marina noſtras. *Joh. Bauh. III. p.* 722. *fig.* 723. *Dalechamp. pag.* 1385.

Aquilejæ in inundatis ſalſis maritimis maxima in copia. Tergeſti itidem in arenoſis maritimis al Molo, tum in ſalinis Servulæ prope Zauli, una cum Aſtere Tripolio; Statice Limonio, Salſola Kali, & Soda; &c. Pura pro Varietate Arenariæ rubræ campeſtris, hanc cum Linnæo, Gunnerus, Gorterus, Pollichius & Gerardus, recenſuere! ſic & Aſterem Tripolium meram Amelli Varietatem dicere poſſis! Dicat, qui unam ex altera natam vidit unquam? aut qui campeſtrem rubram in ſalinis, propter mare, aliquando invenit? marinam contra arenoſis inſulſisque in collibus, longiſſime a mari diſſitis? Nil de duratione (Marinam Zanichellius diſerte perennem dicit), de magnitudine, ſeminum figura & colore dicam; at ſtipulæ certe Campeſtris, lanceolatæ; dum Marina ovato - acutas habet! Et folia

in

in hac pulpoſa, ſemicylindraceo-ſubulata, obtuſiuſcula; quæ Campeſtri rubræ, exſucca, anguſtiſſima, linearia, apiceque breviter ſunt ariſtata: ut adeo Marinam a Campeſtri rubra ſatius cum Allionio, Johanne Bauhino, Ruppio, aliisque ſeparandam cenſuerim. Radix, quæ Arenariæ rubræ campeſtri gracilis, filiformis, fibrillis obſita & exſucca eſt, Marinæ contra eſt fuſiformis, in plures diviſa ramos, fibris conſimilibus, fibrillisque brachiata digitum fere auricularem craſſa, ſubſtantiæ fungoſæ, extus ex albido dilute argillaceo flaveſcens, intus alba; odoris expers; ſapore primum fatuo & inſipido, tum nonnihil amaricante, & linguam titillante. Ceſpitem caulium una effundit, plusquam ſpithamalium, baſi in orbem procumbentium, ex decubitu deinceps aſſurgentium; ſuntque teretes, calami ſcriptorii craſſitudine, articulis geniculati multis, ex viridi, magis magisque rubri, baſi etiam ex rubro demum cæruleſcentes, pulpoſi, nudi, læves; intra florum duntaxat dichotomias, virides & viſcoſo-villoſi; cum tempore ex foliorum axillis ramoſi. Folia ad articulorum genicula præciſe oppoſita & quæ ex eorumdem axillis, novorum ſubinde ramorum initia, oriuntur) in alteram fere partem oblique erecto-patentia, internodiis longiora, carnoſa, ſive pulpoſa & ſucculenta, ſaturate gramineo-viridia, nuda, lævia, ſemiteretia, ſupra nempe plana, ſubtus longitudinaliter convexa, obtuſe acutiuſcula; quæ adeo ſemicylindraceo-ſubulata potius dicas, quam linearia, aut filiformia. Stipulæ membranaceo-ſubſpathaceæ, ſcarioſæ, albentes absque argenti nitore, diaphanæ, breves, latiſſimæ, ovato-acutæ, oppoſitæ, connato-amplexicaules; quæ in Campeſtri rubra lanceolatæ ſunt, & ſericeo-argentatæ. Flores in caule & ramis terminales, iterum, iterumque dichotomi, cum intermedio, ex dichotomiarum axillis ſtipitato; demum deflexi; ſinguli pedunculati; pedunculis calycibusque viſcoſo-villoſis. Calyx pentaphyllus, foliolis ovato-lanceolatis,

con-

concavo - convexis, pulpoſis, ſaturate viridibus, margine membranaceo albo cinctis, villoſo - viſcoſis, erecto - patentibus, tum conniventibus, & perſiſtentibus. Corolla pentapetala, petalis ovato - lanceolatis, calyci ſubæqualibus, amœne, ut in Gentiana centaurea, rubellis, demum exalbidis & forſan ſubflaventibus, ut ea ultima in ætate Joh. Bauhinus viderit? Stamina ordinario decem (vidi ſemel quina, & ſena) corollis breviora; alternis altioribus; filamentis ſubulatis, albis: antheris flavis. Germen ſeſſile, ovatum, nudum, flavicans. Styli tres, breves, albi, erecto - divergentes, ſtigmatibus ſimplicibus. Capſula oblongo - ovata, calyce connivente altior, unilocularis, ab apice in tres dehiſcens valvulas. Semina plurima, receptaculo lineari - conico undique hærentia, compreſſa, ſubreniformia, ruſa, margine latiuſculo exalbido cincta. Odor nullus. Planta exſiccatione, flavo - vireſcens; dum Arenaria rubra campeſtris per deſiccationem, fœni inſtar viridi - glauceſcit, ex pube breviſſima & permanente ſemper nonnihil ſcabriuſcula.

CCXLIX.

SALVIA OFFICINALIS.

Salvia foliis lanceolato - ſubovatis, integris, crenulatis; floribus interrupto - ſubverticillatis, calycum dentibus ariſtatis.

Salvia foliis lanceolatis ovatis integris crenulatis; floribus ſpicatis; calycibus acutis. *Linn. ſpec. plant. p.* 34. *num.* 4. *Gerard. gallopr. pag.* 257. *num.* 1. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *p.* 27. *num.* 31. *Allion. flor. ped. I. p.* 12. *num.* 51.

Sal-

Salvia major. *Matthiol. in dioſc. cap.* 34. *p.* 339. *fig. p.* 338. *Lobel. obſerv. p.* 299. *Dodon. pemt. p.* 290. *Dalechamp. p.* 879. *Joh. Bauh. hiſt. III. p.* 304. *Tabernæm. p.* 760.

Creſcit ſua ſponte ſylveſtris maxima in copia intra rupes in Japodum montibus haud procul a Contoveli, horæ circiter ſpatio ſupra Mare: Junio florere incipiens. An vero eadem, cum Fluminenſi ad Terſactum? tum & an Major, Minorque Veterum ſpecie non differant? alias expediam. Planta ſuffruticoſa ſubbipedalis, erecta, inferne baſin verſus ſubligneſcens, nuda, & ramoſa, radicem habet perennem, ſuſiformem, ſubligneſcentem, copioſas undique fibras agentem. Ejusdem rami annui tetragoni, erecti, pallide virentes, incano - tomentoſuli, inferne folioſi, ſurſum verſus aphylli, floribus onuſti ſunt, non tam ſpicatis, quam interrupto - ſubverticillatis verius. Folia alternas ſemper per vices oppoſita, oblonga, lanceolato - ſubovata, petiolata, ſubcoriacea, tuberculato - ſubrugoſa, integra, per oras nihilominus crenulata, pallide ob tomentum humile & caneſcens incano - virentia. Flores interruptam, velut in ſpicam terminalem ordinati; re autem vera interrupto - ſubverticillati; verticillis, præter infimos unum alterumve, fere ebracteatis; floribus oppoſitis utrinque quinis, ternisve, breviter, inæqualiter pedicellatis, & erectis, ſummis etiam ſeſſilibus. Calyx tubuloſo - turbinatus, ſubcompreſſus, bilabiatus, obſcure ruber, albido - tomentoſulus, ſtriis elevatis denis ſaturatioribus percurſus; labiis ſub angulo acuto divergentibus; ſuperiore breviter trifido; inferiore profunde bifido; lacinulis omnibus acutis, lanceolato - ſubariſtatis. Corolla magna, erecta, cærulea (Scopolio minus recte rubra) extus albido - tomentoſula, bilabiata; tubulo albo, calycibus breviore; fauce nonnihil ampliata, & compreſſa; labio ſuperiore erecto, fornicato, compreſſiuſcu-

lo, apice emarginato; inferiore trilobo; lobo intermedio obcordato, aliquantum longiore; lateralibus integris. Stamina duo brevia ex albo-cæruleſcentia, lateribus labii inferioris ſub fauce inſerta, verſus galeam arcuata, & adſcendentia, de ſe tereti-ſubulata, at ſub apice bifurcata; dente altero laterali deflexo ſubantherifero; anthera ſcilicet ſemi-abortiente, & perparum pollinifera, inſtructo; principali contra, ſeu terminali dente manifeſte antherifero, & fertili. Antheræ oblongæ, transverſe ſemicirculares ex cæruleo tandem nigræ, ſtaminibus circa æquilibrium inſertæ, & verſatiles; polline ex albo-flaveſcente. Stylus corolla altior, filiformis, cum galea fornicata parallele adſcendens, verſus labium inferius arcuatus, inferne albus, ſurſum verſus cæruleus; ſtigmate inæqualiter bifido, lacinulis acutis, inferiore uncinato. Germina quatuor ovata nuda in fundo calycis receptaculo affixa. Semina itidem quatuor. Odor plantæ totius ſuavis, amœne balſamicus.

CCL.

ARBUTUS UVA URSI.

Arbutus caulibus procumbentibus; foliis oblongo-obovatis, integerrimis, firmis, ſubtus ſuperficialiter reticulatis.

Arbutus caulibus procumbentibus, foliis integerrimis. *Linn. ſpec. plant. pag.* 566. *num.* 5. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 1. *pag.* 288. *num.* 483. *Gmelin. flor. ſibir. IV. pag.* 118. *num.* 1. *Gerard. gallopr. p.* 439. *num.* 2. *Oeder. flor. dan. tab.* 33. *Allion. flor. ped. I. p.* 135. *num.* 496. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 1. *pag.* 434. *num.* 1018. *Gunner. flor. norv. I. p.* 64. *num.* 165.

Uva

Uva Urſi. *Cluſ. hiſt. I. p. 63. Lobel. obſerv. p.* 547. *Scheuchz. it. alp. p.* 520. *Seguier. veron. II. p.* 275.
Radix idæa putata, & Uva Urſi. *Joh. Bauh. I. pag.* 523.

Abunde in arduo, & anheloſo adſcenſu alpis Villacenſis, qua ex Arnoldſtein præcipiti per ſylvas rupeſtres itinere ad *heiligen Stein* adſcenditur; vocaturque ibidem *Steingranten*, ad diſtinctionem Vaccinii vitis idææ, quod *Granten* vocant fructu pariter rubro, ſeminibus tamen non lapidoſis. Frequens præterea & in alpibus Reichenavienſibus ad ſanctum Laurentium; & in Leontinis quoque. Fruticulus humilis, biſpithamalis, radice eſt perenni, ſemilignescente, terete, ramulis brachiata, ſub terra oblique ſubrepente, radiculis fibrilloſis nixa, extus fuſca. Procumbunt, qui ab ea exeunt, caules per terram fuſi, teretes, lenti, demum firmiuſculi, & ſubligneſcentes, cortice obducti rufo, & nudo inferne, verſus ſuperiora contra, ut & annui quoque rami, e virore magis magisque rufeſcentes, pube ſubtomentoſa obſiti caneſcente. Folia ſine lege ſparſa permulta, iis buxi craſſiora, magisque firma, oblongo - obovata in brevem decurrentia firmumque petiolum ſubtomentoſulum, integerrima, glabra, ſupra ſaturate virentia, rugoſula, nec absque omni nitore; ſubtus contra aquoſiora, opaca, foveolis, ut ea Vaccinii vitis ideæ, haud quaquam pertuſa, neque nervis, ſive venis oblique rectis (ut in Veterum figuris cernuntur) & exſtantibus percurſa, ſed ſuperficiali duntaxat neque elevato, venularum notata reticulo. Solet vero, tenera præprimis in ætate, permodico eorumdem in acutam oblique reſectus aciem margo adſpergi tomento, demum dilabente. Flores in brevibus, terminalibusque ac nonnihil incurvis racemulis, pauci, ſummum decem, breviſſime pedicellati; pedicellis ſingulis rubris, bracteolam propriam ovato - acutam longitudine æquantibus. Ca-

lyx inferus, perſiſtens, quinquepartitus, corolla duplo, triplove minor, tandem ruber; ſegmentis rotundatis, integris. Corolla alba, incarnata tamen ſuffuſa rubedine, monopetala; campanulato-ovata, ad faucem nonnihil anguſtata, limbo ipſo breviter quinquefido; lacinulis parvis, rotundatis, integris, reflexis. Stamina decem, corollis breviora; filamentis albis, inverſe ovato-ſubulatis; antheris flavis, bifidis, nutantibus. Germen globoſum, læve, ſeſſile, in ſtylum ſimplicem, filiformem, corollæ longitudine attenuatum; ſtigmate obtuſo, craſſiuſculo, umbilicato, ſubpubente. Bacca globoſa, apice depreſſa, nuda, rubra, quinquelocularis, pentaſperma; ſeminibus oſſeis, pulpa modiciſſima involutis.

CCLI.

ARBUTUS ALPINA.

Arbutus caulibus procumbentibus, foliis rugoſis, obovato-oblongis, ſerrulatis, piloſo-ciliatis, in petiolum decurrentibus.

Arbutus caulibus procumbentibus, foliis rugoſis, ſerratis. *Linn. ſpec. plant. p.* 566. *num.* 4. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. I. p.* 436. *num.* 1019. *Gunner. flor. norv. I. p* 67. *num.* 178. *Gmelin. flor. ſibir. IV. p.* 118. *num.* 2. *Oeder. flor dan. tab.* 73. *Allion. flor. pedem. I. pag.* 135. *num.* 495.

Vitis idæa prima, fructu nigro. *Cluſ. hiſt. plant. p.* 61. *Joh. Bauh. III. pag.* 519. *Scheuchz. it. alp. p.* 52.

Pri-

Primum in ſummitate montis *Trügel* alpium Pontebanarum, in Valle Canalenſi, menſe Julio inveni: tum *in klein Kircheim auf der Kaiſerburg*; nec minus frequentem in alpium Vochinenſium ſummitatibus. Humilibus immixtus muſcis fruticulus, quamquam non maxime ipſe humilis, (pedis enim non raro excedit longitudinem) vix tamen niſi ultimis caulis, ramorumque, ultra eosdem eminet, ſummitatibus, per terram cætera proſtratus totus, gracilia undique ramorum brachia diffundens. A radice is exit perenni, lenta, ſubligneſcente, terete, brachiata, ne anſerinæ quidem craſſitudine pennæ, extūs fuſca, radiculisque hinc inde fibrilloſis, & ipſis lenteſcentibus, flexuoſisque obſita. Ea non unicum modo, ſed vel ſub terra plures jam in caudices, aut ſi malis? caules, ramificata abit; ſub terra quidem ſubrepentes, nudos, ſparſis parce fibrillis iterato radicatos; ſupra eamdem contra, ut mox dixi, procumbentes, perennantes, annuis e gemmulis ramoſos, teretes, flexiles, iis, Uvæ urſi, teneriores, primum quidem virides, at deinceps ex viridi ſpadiceo-fuſcos, & ſubligneſcentes, baſin verſus nudiuſculos, in ſuperioribus autem, annuisque ramis, copioſis undique obſitos foliis. Folia iis, Uvæ urſi longiora, minus craſſa, minus firma, minus dura, nec ſuperne nitentia; cæterum obovato-oblonga, in petiolum longiuſculum manifeſte decurrentia, integra, rugoſa, nuda, ſupra viridia, ſubtus aquoſe vireſcentia, & venis rufeſcentibus reticulata, per oras marginum laxe, & acute ſerrata; denticulis ſerrarum petioloque, piloſo-ciliatis. Stipulæ (alius ſquamas gemmarum dicet) lineares, planæ, integræ, obtuſæ, rubræ, nitentes. Flores, non, ut eos paſſim exhibent, faſciculati, ſed omnino racemoſi; racemulis terminalibus, incurvis, ſinguli ex axilla bracteolæ pedunculati. Calyx inferus, perſiſtens, nihil ab eo, Uvæ urſi, diverſus; ſed & corolla quoque, ſtructura, forma, colore, una cum ſtaminibus & piſtillo, eadem, ut in Arbu-

to Uva ursi. Bacca contra, (maturam intelligo) nigra, habitu cæruleo-glaucescente, ut in Prunis usuvenit, obducta, estque globosa apice depressa, quinquelocularis, pentasperma, sat exsucca, pulpæ parum continens.

CCLII.

LICHEN POLYPHYLLUS. *Tab. 2. fig. 4.*

Lichen umbilicatus, prolifero-polyphyllus, utrinque lævis; foliolis orbiculatis, subcrenatis, in rosulas polypetalas imbricatim ordinatis; supra cinereis, nigro-punctatis, subtus fuscis.

Lichen foliaceus polyphyllus, utrinque lævis, crenatus. *Linn. spec. plant. p.* 1618 *num.* 56. *Weber. spicil. p.* 258. *num.* 283.

Lichenoides tenue pullum, foliis utrinque glabris. *Dillen. musc. p.* 225. *tab.* 30. *fig.* 129.

Lichen lapideus crispus utrinque coloris schistei? *Haller. hist. stirp. helv. III. p.* 88. *num.* 2001.

Lichen pulmonarius, saxatilis, sordide virescens, foliis minimis? *Michel. n. pl. gen. p.* 101. *num.* 3. *tab.* 54. *fig.* 2.

In Austriaca montis Semmering parte, ad sinistram viæ regiæ, dum ex Maria Schuz versus ejusdem montis summitatem procederem, peculiarem hanc Lichenis speciem copiosissime in Saxo quodam calcareo, nec alibi adhuc uspiam, inveni. Orbiculares per rupem quaquaversum dispersæ erant rosulæ; amplius modo patentes; alias contractæ magis; facie hortensis cujuspiam floris polypetali; petalis in orbem imbricum more sibi mu-

mutuo ſuperincumbentibus. Re autem vera, ſingularia ſimpliciaque nonniſi fuerant foliola non tot, quin plura parva, diametri unius duarumve linearum (exterioribus tantillo majoribus) tenuia, coriacea tamen, utrinque lævia, orbiculata, primum integra, tum margine obtuſe crenata, ſubtus fuſco-nigricantia, ſupra cæruleſcenti-cinerea, (prima in ætate viridi-glauceſcentia) atomis pulverulentis nigris adſperſa. Foliola hæc, roſulam unam conſtituentia, etſi de ſe ſingularia, ita nihiloſecius conſtanter collecta, aggregataque fuerant, ut nonniſi unico communi ſubtus, centrali umbilicalique tophulo, rupi inhærerent, undique cæterum libera; ita ut caute a rupe abraſo hocce tophulo, omnis ſimul roſula polypetala integra cohærensque decederet. Hærent ſcilicet intima cujusque roſulæ foliola ſolo partis inferæ umbilico, eidem rupis puncto; prolifera in orbem; prole nova matri ſimillima, eique innata, & libere ſuperincumbente; quo demum fit, ut ceſpitulus foliolorum, per concentricos velut circulos, mutuo ſibi invicem innatorum, & imbricum more ſuperincumbentium, roſamque polypetalam referentium exoriatur. Nigras partis ſuperæ atomos microſcopio cum intuerer, globellos eſſe vidi quam maxime exiguos, læves, nullis exaratos ſtriis circularibus, infera ſua parte, intra ſubſtantiam folii coriacei ſemi-conſepultos.

Nonniſi ſub dubio Halleri, Micheliique ſynonyma recepi; illius, quia ipſe de Dillenii ſubdubitat ſynonymo; tum quod de fine criſpo, & ſurculis acutius bifidis, qui nuſpiam in noſtro occurrunt, loquitur. Hujus vero, quia ſuum Lichenem in arboribus, & vetuſtis prædiorum muris intra & extra Florentiam creſcere inquit!

Eſt,

Eſt, quod hic præterea moneam. In altero Collectaneorum Jacquinii Volumine, pag. 190. Nro. 187. Lichenem deſcripſi polyphyllum, ab hoc diverſiſſimum. Nondum tum verum Dillenii videram Lichenoides Tab. 30. fig. 129. & quod rei caput eſt, Tabulas præciſe, nec textum Autoris poſſederam, floras quotquot conſulueram, nihil circa verum Polyphyllum lucis attulerant. Videbam Lichenem illum meum ab Halleri Lichene Nro. 1999. Tab. 47. fig. 2. differre nihil; ſed eum Clariſſimus Vir unum eumdemque cum Lichene Miniato Linnæi, Dilleniique aſſerebat eſſe; quod admittere haud quaquam poteram; propterea cumprimis; quod Miniatum Lin. in altero Miſcellaneorum Jacquinii Volumine pag. 90. Nro. 36. Tab. 10. fig. 3. propoſitum probe noveram, ab eo Halleri, meoque diverſiſſimum; quid igitur ex illo meo facerem? Polyphyllum dixi, ſemper addens: non tam polyphyllum, quam polylobum potius dici debere; ac vel ea jam de cauſa, de Schrankii me dubitare ſynonymo. Nunc, ubi verum denique L. polyphyllum, illhic deſcriptum, inveni; certior, illum alterum polyphyllum eſſe non poſſe, mentem veritatis amans muto. At num propterea Miniatus Linnæi ſit? Nequaquam. Sed neque Miniati varietas. Lichenem polylobum dixero. In textu quidem Dillenii ad Miniatum Linnæi, pag. 223. ad calcem ſynonymum Halleri Lichenis pulmonarii alpini cinerei punctati adjectum reperio; interim ut confrontentur figuræ meæ (quæ exactæ ſunt) Lichenis Miniati. Miſc. Jacq. II. Tab. 10. fig. 3. & Lichenis polylobi Coll. Jacq. II. Tab. fig. 1. Lit. a - i enixe rogo. Perpendere tum & juverit: Miniatum eſſe duplo triploque craſſiorem, durioremque Polylobo; inferne flavo - aurantiacum (yellow on the other ſide) ſuperne albido - cineraſcentem; polylobum contra ſubtus fuſcum, & e fuſco - nigricantem, ſupra cæruleſcenti - cinereum; illius margines ſemper deorſum incurvos; hujus nequaquam! Hæc ſi non ſufficiant hac in gente

ad

ad diverſitatem ſpeciei, diverſas ſpeciei ejusdem varietates pace mea quisque dixerit, reclamante ſemper oculo, qui utrumque viderit; & tamen & ſuum quoque oculis in hiſce judicium eſt.

Liceat hic & alterius, ex eadem orti cauſa, meminiſſe lapſus; cur enim, qui veritatem inquiro, diſſimulem quidquam? nonne præſtat, ut, ſi uſpiam minus recte quid determinarim, ipſe alios ejus commoneſaciam, quam ab aliis erroris inſimuler? Ex textu Dillenii, quo carueram alias, video, Lichenem illum, quem in Coll. Jacq. Tom. II. pag. 190. Tab. 15. fig. 2. Lit. a - b. exactiſſime quidem, ſed pro Linnæi Dilleniique Omphalode deſcripſi, Omphalodem Linnæi eſſe non poſſe; eſſe vero eum plane, quem Recentiores Schreberus, Weberus &c. Pulverulentum dixere, Dillenii videlicet Lichenoides glaucum orbiculare, ſegmentis latiuſculis, ſcutellis nigris pag. 176. Tab. 24. fig. 71. Omphalodem profecto ex autoribus, ſine textu Dillenii rite determinare, difficillimum eſt, dum eum unus purpureum, alter nigricantem, rurſumque alius incanum, cineraſcentem, etiam ſpadiceum dicit! & qui de Dillenii Lichenoide glauco, orbiculari &c. ſeu Hoffmanni pulverulento ſuſpicari potuiſſem? quando Lichen iſte florente ſua in ætate, humidaque tempeſtate, nec glaucus, nec pulvere adſperſus, nec denique ſcutellis eſt nigris, ſed ſaturate viridis, ſcutellisque rubris? Dixeram: cum ætate, aut & deſiccatum, præprimis diuturnioribus ſolis radiis exuſtum, ut reapſe tum eſt, fuſcum fieri, nec tam pulvere aſpergi ullo, quam halitu potius obduci albido - glauceſcente. At enim anne colores Lichenum ab ultima eorum ætate deſumemus? nonne præſtat, quales, dum juvenes vegetique & humidiuſculi ſunt, dicere? Hoc certe in ſtatu Lichen hic nec albus, nec glaucus, nec pulverulentes eſt.

CCLIII.

LICHEN DEUSTUS. *Tab.* 1. *fig.* 3.

Lichen umbilicatus ſubpelviformis, integriuſculus, utrinque lævis, ſupra cinereus, tuberculis nigris adſperſus, in orbiculos demum ſubumbilicatos deprimendis.

Lichen foliaceus umbilicatus undique lævis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1618. *num.* 55. *Gerard. galloprov. pag.* 32. *num.* 16. *Gunner. flor. norveg. tom.* 2. *p.* 89. *num.* 736. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *pag.* 323. *num.* 2573. *Schrank. flor. berchtesgad. p.* 314. *num.* 484.

Lichen pulmonarius ſaxatilis e cinereo fuſcus minimus. *Vaill. bot. pariſ. tab.* 21. *fig.* 14.

Lichenoides coriaceum cinereum peltis atris compreſſis. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 30. *fig.* 117.

Lichen fronde rotunde lobata, inferne nigerrima, gleboſa. *Haller. tom.* 3. *p.* 88. *num.* 1998.

Nihil eo frequentius nudis in rupibus Taurerorum Radſtadienſis &c. vulgatiſſimus itidem in petris calcareis prope Niederndorf verſus balnea; tum & in ſaxis, pariter calcareis, prope Dirchenbach &c. jam ſolitarius; jam aggregatus. Folium craſſitudine ea circiter Lichenis proboſcidei; numquam eam L. miniati attingens; coriaceum, exſiccatione rigidum & fragile; orbiculatum, ſubpelviforme, integriuſculum, per ætatem margine breviter, & repando-ſublobatum; rugis quandoque centrum verſus protuberantibus criſpatum; utrinque læve; ſupra cinereum, & ex cinereo, halitu dilute nigricante ſubſuliginoſum, atrisque obſitum tuberculis, in planos tandem,

&

& centro umbilicatos deprimendis orbiculos, ſubtus primum plus minus, fuſcum, dum denique nigreſcat. Ea tubercula pulviſculis initio ſimilia, vixque perceptibilia, uti in Lichene polyphyllo, & polylobo, lævia, nec ſtriis impreſſis ſulcata, intra coriaceam folii ſubſtantiam ex parte latitant, apice duntaxat aliquantum exſtantia. Stipitulos illos coriaceo - fungoſos, quibus inſiſtentem autores exhibent, haud obſervavi; ipſo quin imo ſuperficiei inferæ umbilico centrali ſaxis agglutinatum ſemper inveni, cætera liberum, oris duntaxat marginum tantiſper elevatis.

CCLIV.

LICHEN FLOCCULOSUS. *Tab.* 1. *fig.* 2.

Lichen umbilicatus coriaceus, ſuborbiculatus, criſpo - lobatus, ex fuſco niger, ſupra ſquamoſo - flocculoſus, ſubtus lævis, ſublacunoſus.

In ſuperioris Carinthiæ alpibus, tum Clagenfurti iterum, nudis in ſaxis, paulo ſupra Calvariæ montem, novam hanc umbilicatorum Lichenum inveni ſpeciem. Non ea tuberculis lævibus exiguis ut Miniatus, Deuſtus, Polylobus, Polyphyllus, obſita eſt ſuperne; nec ut Proboſcideus, Meſenteriformis, Varioloſus & Fullus ſubſtipitatas profert peltas circulis inſcriptas ſubconcentricis; nullis tum etiam ut Prolyrrhizos, Velleusque ſubtus radiculis, cirrisve, aut & villis ſuperinducta eſt ſtipatiſſime enatis; ſed neque ſericea Anthracini tenuitate, lævoreque utriusque paginæ prædita eſt impalpabili. Corium illi verius haud minus craſſum, durumque & fragile, quam Miniato Linnæi Lichen, primum obſcure ſubvireſcens, ſed mox triſte fuſcum, dum ex fuſco denique ſuperne nigreſcat. Id

ſolo ſuperficiei inferæ umbilico centrali rupibus fixum hærens, undique cætera liberum, orbiculatam ſenſim ſeſe diſtendit in pelvem, ſed brevi peripheriam verſus luxurians, in plicas, lobosque demum etiam inæquales, rotundatos criſpatur ſubundatum; ſubtus læve omnino, impreſſis tamen foveolis, ſcrobiculisque, rariter ſparſis ſublacunoſum; at ſuperne ſquamulis, papillisve furfuraceo - flocculoſis minimis, & microſcopicis ſcabriuſculum. & velut exaſperatum.

CCLV.

LICHEN ROSATUS. *Tab.* 1. *fig.* 1.

Lichen leproſus, pallide roſeus, cruſtaceo - gleboſus, late effuſus.

Saxum molare Wallerii, ex quarzo fragili granulato albo ſubdiaphano, & ſteatite viridi - cæruleſcente compoſitum, cruſta Lichen iſte ampliſſime diffuſa inſternit pallide roſea; quæ tartareæ naturæ, papyri vixdum ſuperat tenuitatem, tota quanta eſt, glebulis exiguis inæqualibus depreſſo - convexis conſtans. Saxo ea primum arcte hæret, dum, vegetabilis ut eſt naturæ, exſiccatione contracta, ſenſim ab eodem divellitur disrupta. Retro Caſtellum Zigulnenſe verſus ſylvam. Tubercula a cruſtæ glebulis diverſa in ea inveni nulla, ſed neque ſcutellas ullas.

CCVLI.

CCLVI.

LICHEN VIRIDI - FLAVESCENS. *Tab. 2. fig. 1.*

Lichen leprosus albicans, tuberculis lævibus subglobosis olivaceo - flavis.

Crusta leprosa, tenuis, farinaceo - glebulosa, coloris albidi, masculis exiguis rariter sparsis, laxe cohærens, arctissime calcareo æquabili solido albido - grisescenti instrata hæret, ab eodem vix aut ne vix quidem decedens. Huic, tamquam matrici, copiosa undique, magis aut minus dense aggregata insident tubercula subglobosa coloris e diluto olivarum virore flavescentia, lævia, nullo coronata margine, undique libera. In ea valle angusta & frigida montis Semmering Lichenem hunc inveni, cui lapideus superstructus est pons, ut ne via regia interturbaretur.

CCLVII.

LICHEN AURANTIACUS. *Tab. 6. fig. 2. lit. c.*

Lichen eprosus nigricans, tuberculis globosis saturate aurantiacis.

Pulvis vegetabilis niger farinaceus subtilissimus, in superficialem duntaxat crustam effusus, arctissime saxo hærens, nec a Byssо forsan antiquitatis L. diversus, saxum molare viridi - cæruleſcens Wall. ad ampla insternebat spatia. Ei cumulatissime insidebant tubercula sphæroidica lævia saturate rubro - aurantiaca, undique libera, nullo circumscripta margine.

Sic Lichenem hunc nudis in ſaxis retro Caſtellum Zigulnenſe inveneram. Sed frequentiſſime alias absque omni leproſa ſive & pulverulento - cruſtacea matrice. In calcareis ſcilicet rupibus alpium Lithopolitanarum ad S. S. Primum & Felicianum, tum in calcareo æquabili ex albo - cineraſcente Clagenfurti *in der Sattniz*, ibidemque in breccia calcarea; tuberculis rariter laxeque ſparſis; frequentem denique in quercubus ſylvarum, ſupra aquas Spadanas diſtrictus Leodienſis; tuberculis ſaturate rubro - aurantiacis, cumulate absque matrice leproſa aggregatis. Vix fallar, Rupeſtrem Scopolii Lichenem tuberculis rufis (Nro. 1372. Flor. Carn. 2. Tom. 2. pag. 363) ſi iſthuc revocavero.

CCLVIII.

LICHEN SPHÆROIDES.

Lichen tuberculis globoſis ſubſeſſilibus aggregatis leproſo.

Tremella purpurea ſubgloboſa ſeſſilis ſolitaria glabra. *Linn. ſpec. plant. pag.* 1626. *num.* 7. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 268. *num.* 1015. *Weiſſ. crypt. p.* 30. *Allion. flor. pedem. tom.* 2. *p.* 328. *num.* 2602. *Necker. del. belg. p.* 523. *num.* 3.

Elvela purpurea. *Schreber. ſpicil lipſ. p.* 112. *num.* 1092.

Lichenoides tuberculoſum amœne purpureum. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 18. *fig.* 6.

Lichen - agaricus acaulis ceſpitoſus ruber, abietis corticibus innaſcens receptaculis florum ſphæricis & nitidis. *Michel. n. gen. pl. pag.* 105. *num.* 3.

Sphæ-

Sphæria convexa miniata hirſuta. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 3. pag. 121. num. 2189.*

Valſa miniata tuberculis roſeis glabris. *Scop. flor. carn. 2. tom. 2. pag. 399. num. 1418.*

Antecedentis tubercula ſphæroidica, nulli ut plurimum leproſæ inſidentia cruſtæ, cum adſociaverim Lichenibus, neſcio cur iſtius tubercula, & ipſa quoque ſubſtantiæ leproſo-tartareæ, nec gelatinoſæ, a Lichenum genere removeam? Ceſpitoſe plerumque in areſcentibus arborum virgulis; in emortuis earumdem truncis; tum & ſudibus, trabibusque ſepiariis enaſcuntur ea hybernis menſibus, ſeminum milii magnitudine. Globoſæ, aut certe ſphæricitatem affectantis eſſe ſolent figuræ, nuda undique, & glabra, nec ullis ſive villis, ſive pulviſculis adſperſa, coloris amœne roſei. Subſtantiam quod attinet, ea ſane gelatinoſa tremulave minime eſt, ſed leproſo-tartarea, illico induranda, & perſiſtens, digitos intra, in concolorem vegetabilem pulverem conterenda. Subſeſſilia hæc dixi tubercula, cum enim & Labaci, & Clagenfurti, Victoriæ item, & in Ehrenthal ſeſſilia ſemper inveniſſem, tum una duntaxat vice in emoriente Sambuci ramulo, prope Ehrenthaliam, brevi donata ſtipitulo ceſpitoſe aggregata vidi; ea plane ratione, ut Trichiæ Halleri nonnullæ.

CCLIX.

CCLIX.

LICHEN PELTIFER. *Tab.* 3. *fig.* 1.

Lichen leproſo - cruſtaceus, noduloſus, aquoſe vireſcens; tuberculis ſphæroidicis, ſubumbilicatis, dilute fuſcis, albido - ſtipitatis.

Coralloides fungiforme ſaxatile, pallide fuſcum. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 14. *fig.* 4.

Lichen cruſtaceus terreſtris; cruſta granuloſa, ex albo ſubcinerea, receptaculis florum rotundis, fuſcis, pediculo inſidentibus. *Michel. n. pl. gen. ord.* 35. *p.* 100. *num.* 2.

Lichen cruſtaceus, cinereo - viridis, tuberculis ſtipitatis fuſcis. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 360 *num.* 1364.

Lichen ſabuletorum leproſus vireſcens, tuberculis ſubſtipitatis, planiuſculis, atris. *Schreb. ſpicil. lipſ. p.* 134. *num.* 1135.

Lichen cruſta tenace verrucoſa, fungis fuſcis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 97 *num.* 2043.

Admodum frequens in ſaxis, etiam perpendicularibus ſylvarum umbroſarum Zigulnenſium, alibique. In rupibus meum, cum Dillenio, inveni, quas amplis ut plurimum incruſtat ſtriatis; cruſta ea, leproſo - tartarea, haud admodum craſſa; humilior, quam illa Lichenis Ericetorum, eſſe ſolet; verruculis ſive nodulis conſtans exiguis, lævibus, hemiſphæricis, confertiſſime aggregatis, coloris primum aquoſe virentis, tum ex virore ſubcineraſcentis; triſte per exſiccationem albens. Eminent, per eamdem laxius quam L. Ericetorum ſparſa tubercula ſubſphæroidica, lævia, coloris aquoſe bruneſcentis, in nigrum per ætatem, aut humorem nimium, abe-

abeuntis; ſtipiti albo, tereti, & fiſtuloſo inſidentia, adeo interdum brevi, ut ſeſſilia credas, niſi oblique, ex latere velut, eadem intuearis; at plerumque tamen, nudis quoque oculis eumdem diſcernas. Sphæroidicum item capitellum, de ſe læve & integrum, introlabente quandoque vertice, non umbilicatum modo, ſed & margine interiore fit ſubcrenatum, quaſi ex tophulis aliquot compoſitum ſit confluentibus; ut idem, non raro in fungillis quoque Lichenis ericetorum evenit. Ab hoc, ſpecie haud diverſum, credidere Weiſſius, Neckerus, & Leerſius; minus tamen id recte; carnea aut & roſea iſtius capitella, in fuſcum abire colorem, vidi numquam, minus in nigrum, dum bruneſcentia peltiferi nigreſcere denique ſolent ſemper; nulla, ne infantili quidem in ætate, roſea. Secundam pro quarta ex Dillenio figuram citavit Hallerus; quarum illi, non huic foliaceam Dillenius tribuit baſin, ſpecificum Scopolii nomen non retinui, utpote pluribus hujus generis commune.

CCLX.

LICHEN MADREPORÆFORMIS. *Tab. 3. fig. 2.*

Lichen fruticuloſus, e viridi albido-cineraſcens, cauliculis erectis, ſtipatiſſime aggregatis, fiſtuloſis, apicem verſus ſubdigitato-ramuloſis; ramulorum apicibus dilute fuſcis.

Coralloides minimum fragile Madreporæ inſtar naſcens. *Dillen. hiſt. muſc. tab. 16. fig. 28.*

Lichen caule fruticoſo, ramoſo, erecto, denſiſſime ceſpitoſo. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 3. pag. 79. num. 1962.*

Sæpius hunc in ſylvis abiegnis & Labaci ſub Turre, & Clagenfurti intra Calvariæ montem ac Ziguln, invenimus in terra argilloſa, aut & margacea, ſterili, quam adinſtar Lichenis Ericetorum, ampla per ſpatia, integris cauliculorum, ſtipatiſſime aggregatorum obducit ceſpitibus. Cruſtam primum dicas albido - cineraſcentem, noduloſo - verrucoſam; at noduli hi elevant ſe demum in ſtipitulos ſive cauliculos teretes, cylindraceos, fiſtuloſos, ſimplices, bifidos, aut & apicem verſus parce ramuloſos, ramulis digitato - trifidis - quadrifidis, aut & quinquefidis. Ramulorum iſtorum lacinulæ ſeu ſegmenta, perinde ac cauliculi ipſi, teretes, fiſtuloſæ, & concolores, apice duntaxat impervia, & aquoſe bruneſcentes; quo decuſſo, aut & diffractis cauliculis, inanes hiant ad baſin usque perforati. Color fruticuloſorum cauliculorum prima in ætate, aut tempore humidiuſculo, albido - eſt vireſcens; per exſiccationem albo - cineraſcit rigeſcentibus, & hinc fragilibus ſtipitibus.

CCLXI.

LICHEN ALBO - INCARNATUS. *Tab. 2. fig. 3.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, tener, glebuloſus, albus, tuberculis lentiformibus incarnatis.

Betulinum vocaveram alias, quia in Betulæ primum inveneram trunco; cum dein & in aliis quoque arboribus longe frequentiorem, in Fraxino ſcilicet excelſa, in Carpino, Picea &c. vidiſſem, ſatius me facturum exiſtimavi, ſi ſpecificum mutarem nomen. Cruſta cortices obducit ille leproſa, alba, ſat tenera, firmiſſimeque hærente, exiguas & cohærente,

tes formante glebulas convexiuſculas, per quam copioſa undique diſperſa ſunt tubercula lentiformia tumidiuſcula ſeſſilia & lævia, coloris amœne incarnati, ſeu lacteo - rubentia, nullo exſtante circumdata margine, at per exſiccationem duntaxat, ambitu exalbeſcentia. An fallar? neſcio, iſthuc ſi Michelii revocavero Lichenem cruſtaceum alpinum, lignis putridis (Abietum Falteronæ truncis) ad naſcentem, glaucum, receptaculis florum carneis, & tumentibus. Nov. Pl. Gen. pag. 98. Nro. 38.

CCLXII.

LICHEN LACTEUS. *Tab. 4. a. b.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, albus, ſuborbiculatus, marginatus; tuberculis hemiſphæricis niveis.

Lichen leproſus albus, tuberculis concoloribus hemiſphæricis. *Linn. mant. I. pag.* 132. *num.* 86. *Leerſ. flor. herb. p.* 253. *num.* 924.

Satis vulgaris ubivis in rupibus ſaxi molaris cæruleſcentis, ſylvarum montis Calvariæ, tum retro Ziguln, & verſus S. Primum. Vidi & alias in ſchiſto nigro - cæruleſcente prope hoſpitium *au grand Soleil*, via intermedia inter Leodium & Saquas padanas. Cruſta leproſo - tartarea; in orbem expanſa; adinſtar Lichenis cujusdam centrifugi configurata, margine quoque ſuo peculiari circumſcripta; conſtans e meris verrucis convexiuſculis, contiguis, ſemiconfluentibus, & in radios velut e centro divergentes ordinatis, albis. Margo circumferentialis, lineam latus, faſciæ adinſtar, cruſtam hanc terminat, minus nonnihil verrucoſus, & fere continuus & impalpabilis, arctiſſime ſaxo hæret conglutinatus, albus & ipſe quidem,

tamen in leviſſimam incarnati tinctúram emoriens. Sparſa per intermediam verrucoſam cruſtam undique cernuntur tubercula hemiſphærica farinaceo - pulverulenta, albedinis intenſioris, & vere niveæ, jam plura, jam pauciora; aliqua tamen ſemper. Quo vero contractior eſt, ad quam ſeſe extendit, ejusdem amplitudo, eo ſimul grato magis ferire oculos ſolet aſpectu, lactei, ardente ſole, coloris. Ætate? aut verius umbroſi, magisque humentis opportunitate loci in ſylvarum receſſibus, ad ſpatia ſe ea diffundit ſpithamalibus non raro majora; atque tum minus bella, centrum verſus (ut videre in b. eſt) cineraſcere, vel e cinereo aquoſe ſubvireſcere amat; tuberculis, quæ verrucoſis cruſtæ inſident glebulis, in farinaceum pulverem fatiſcentibus. An Halleri iſthuc Lichen Nro. 2071. pertineat? quærit Leerſius; ſed qui huc faciat arboreus? nullo incinctus margine? concavo - hemiſphæricis ſcutellis, non hemiſphærico - convexis obſitus tuberculis?

CCLXIII.

LICHEN ELVELOIDES. *Tab.* 3. *fig.* 3.

Lichen leproſo - cruſtaceus, cruſta tartarea e portiunculis aggregatis, concavo - pelviformibus, ſupra rubentibus, ſubtus & margine albis; tuberculis ſubmarginalibus, globoſis, atris.

Zigulnenſibus in ſylvis, intermedia in declivitate inter ſuperius & inferius ſtagnum, rarum hunc Lichenem ipſa in terra umbroſa inveni, Elvelæ, cum primum vidi, ſpeciem credens; ſed non ei ceracea fungorum hujuscemodi natura, ſubſtantiave; curioſius inſpectum, cruſtam vidi tartareo -

reo - leproſam, udæ tantiſper humo late inſtratam; non equidem continuam, e meris tamen admodum contiguis, & aggregatis conſtantem portiunculis ſuborbiculatis, plano - depreſſis, tum concavo - pelviformibus, margine jam integris, jam inordinate repando - emarginatis. Gelatinoſo - pulpoſam, dum madet, ejusdem dicas ſubſtantiam; eſt tamen mere leproſo - tartarea, ſcrupoſum intra digitos in pulverem, dum deſiccatur, conterenda, & friabilis. Colore glebulæ illæ pelviformes ſuperne ſunt rubente omnes; ſubtus, & per circumferentiæ marginem, albo. Humore demum nimio? aut aliis vitiatæ (ut in figura videre eſt) temporis injuriis, quantæ quantæ ſunt, fuſceſcunt. Aterrima globoſaque paſſim tubercula particellis cruſtæ iſtius, at plerumque nonniſi ad earumdem marginem inſidere ſolent; quæ vel in fatiſcentibus adhucdum perſtant. Apud autores fruſtra eumdem inquiſivi; niſi quidem Michelii ſit Lichen cruſtaceo - pulmonarius ſaxatilis farinaceus, foliis exiguis, inferne albis, ſuperne aurantiacis, receptaculis florum nigris? Vide Michel. Nov. Pl. Gen. p. 94. Ord. 30. Nro. 5. ad quam pertinet diviſionem.

CCLXIV.

LICHEN LAQUEATUS. *Tab.* 5. *fig.* 2.

Lichen leproſo - cruſtaceus, cruſta tartarea in frondes rotunde - lobatas, proſtratas, & ſubimbricatas efflorescens, ſuperne viridis, ſubtus & margine alba; ſcutellis albo - marginatis, in hemiſphærica demum tubercula abeuntibus, flavis.

Lichen pulmonarius ſaxatilis farinaceus, foliis (cruſtaceis) brevibus, inferne albis, deſuper e cinereo - vireſcentibus, receptaculis florum ru-

fis. *Michel. nov. pl. gen. ord.* 30. *pag.* 94. *num.* 2. *tab.* 51. *fg.* 2. *Seguier. veron. I. p.* 62. *num.* 21. *Idem tom. III. Supplem. p.* 49. ut autem Lichen 21. melius innoteſcat &c.

Lichen fragilis. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 391. *num.* 1402.

Ampliſſimis calcareum nudum, rimoſumque obducit cruſtis leproſo-tartareis, in montibus inter Planinam & Adlersberg, ſi ad dextram viæ regiæ paulo montes conſcendas; amœniſſimus viſu Lichen juvenili in ætate, aut humidiuſculo tempore, nam ſicca tempeſtate, halitu velut albido obductus, viridi - cineraſcit, & flava ejusdem tubercula, obſcuriora per ætatem, flavoque fuſceſcentia & ſubrufa fiunt. Foliaceum credas e centrifugorum imbricatorum genere, re tamen vera nil niſi tartarea eſt lepra cruſtæformis, lineam fere craſſa, ad ampla diffuſa ſpatia, in colliculos non raro intumeſcens, arcte inter ſe, & cum ſaxo calcareo cohærens, in ſuperficie in bracteas, folioſarum inſtar frondium, rotundato - multifidoque lobatas, ſubimbricatim procumbentes efflorescens, ſupra lævis, & læte viridis, halitu per exſiccationem albido ſuperinducta; ſubtus contra, uti & marginibus lobulorum, alba. Eſt eadem, cum ſicca eſt, adeo rigida, ut illico frangatur, manibus dum a matrice avellitur, album intra digitos in pulverem friabilis. Frequentiſſima, per larvata ejusdem foliola, undique ſparſa cernas tubercula hemiſphærico - convexa; ſuntque majuſcula, ſeſſilia, flava, & ex flavo - per ætatem fuſceſcentia, nullo protuberante, aut diſcolore cincta margine. Quod ſi attente, qua late patet, teſſellatam, ſive verius laqueatam hanc intueare cruſtam aliquas ſemper in recentioribus foliolis deteges ſcutellas, hemiſphærico concavas, flavo tinctas colore, margine ſemiſtrangulato albo coronatas. Ex quo manifeſte intelligo, quæ ſcutellæ primum exſtitere, attollente ſe ſenſim per intume-

meſcentiam concava earumdem ſuperficie, in tubercula demum covexa abeunt, adeo incraſſata ut albus earumdem margo conſepultus obliteretur. Specificum Scopolii nomen retinere haud potui, eo, quod idem alii Linnæus Licheni e fruticuloſorum genere tribuerit, quam ut devitarem confuſionem Laqueatum dixi, metaphora a laqueatis Ciceronis tectis (*der ausgetäfelten Stubendecken*) deſumpta.

CCLXV.

LICHEN ALBO - FLAVESCENS. *Tab.* 5. *fig.* 1.

Lichen leproſo - cruſtaceus, noduloſo - verrucoſus, albus; ſcutellis flavo - aurantiacis, margine tumidiuſculo albo cinctis.

In Quercu Robore ſylvarum Hasbergenſium inveni. Cruſta arboreus hic Lichen conſtat leproſo - tartarea, mediocriter craſſiuſcula, compacta, unitaque, firmiſſime cortici rimoſo hærente, noduloſo - verrucoſa, lævi, alba. Eidem quaquaverſum ſparſæ inſident ſcutellæ concavæ magnitudine inæquales, orbiculatæ aut & oblongo - ovales, flavo - aurantiacæ, læves, margine nonnihil exſtante, & tumidiuſculo albo integerrimo cinctæ. A tartareo Linnæi Lichene, utpote ſaxatili, non arboreo, pluribus diverſus notis; Lichenoidi Dillenii cruſtaceo & leproſo, acetabulis majoribus luteis, limbis argenteis Tab. 18. fig. 13. unire volui; ſed & hoc, teſte Oedero, Icone 712. Nro. 1. ſaxatile, non arboreum eſt. Quid? quod, ut verum fatear, nec Oederi, nec Dillenii citatæ figuræ, illi, Lichenis mei, admodum ſimiles ſint. Præſtat itaque diſtinguere, quam confundere.

CCLXVI.

CCLXVI.

LICHEN FUSCO - RUBENS. *Tab. 2. fig. 2.*

Lichen leproſo - farinaceus, impalpabilis, tenaciſſimus, ex fuſco - rubens; ſcutellis dilute rubris, margine tumido, concolore, introrſum crenato, cinctis.

Deſcriptum nuſpiam invenio elegantiſſimum vegetabile, quod mihi montem Semering percurrenti, in frigida ea valle, cui lapideus ſuperſtructus eſt pons, in calcareo æquabili ſolido griſeo - cineraſcente, una cum Lichene Carbonario, aliisque viſum eſt. Cruſta (ſi cruſta dici debeat?) ſuperficialis, tenuiſſima, impalpabilis, leproſo - farinacea ex fuſco - rubens, dictum nunc inſternebat calcareum, tenaciſſime eidem hærens. Ejusdem, ſed diluti magis, coloris erant, quæ illi undique, & ſat copioſæ, inſidebant ſcutellæ, margine circumſcriptæ craſſiuſculo, ſurſum velut revoluto, & cavitatem verſus tantiſper ſtrangulato, unde & introrſum, ea ex conſtrictione, crenato.

CCLXVII.

LICHEN PALLESCENS. *Tab. 5. fig. 3. lit. a. a.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, albido - cineraſcens, ſubpulverulentus; ſcutellis ſtipatiſſime aggregatis, cinereis, margine albidiore cinctis.

Li-

Lichen cruſtaceus, albicans, ſcutellis pallidis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1608. *num.* 15. *Leerſ. flor. herborn. p.* 225. *num.* 937. *Necker. del. gallobelg. p.* 503. *num.* 9. *Weiſſ. crypt. p.* 47. optime. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *p.* 55. *num.* 556. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *p.* 316. *num.* 2546.

Mihi in fago non rarus occurrit; conſtatque lepra tartarea, albido-cineraſcente, haud admodum craſſa, nec verrucoſa; humili verius, & in pertenuem, firmiſſime cortici adnatam, pulverulentam confluente cruſtulam. Expanſio illi, de more, ſuborbiculata; diffuſior, aut contractior; ambitus albidior, impalpabilis, ſubſinuatus; ſcutellæ ſaturatius nonnihil, & obſcurius cinereæ, hemiſphærico-concavæ, margine albidiore cinctæ, ſolentque per diſcum omnem, adeo cumulate, & ſtipatim aggregari, ut exaltato cumprimis concavitatis umbilico, in ſcutiformem umbonem, ex mutua compreſſione, in ovales, oblongo-lineares, aut & inordinate diſtortas conſtringantur. Leerſius cum Weiſſio, & Allionio Halleri iſthuc Lichenem Nro. 2024. fronde laciniata appreſſa cervina concolore. Hic vero cum Allionio etiam Michelii Lichenem pulmonarium ſaxatilem farinaceum glauco-vireſcentem, receptaculis florum griſeis pag. 94. Nro. 6. ord. 30. tab. 51. fig. 4. revocarunt. At, ni me fallant omnia, minus recte. Nam hic quidem Lichen ſaxatilis, non arboreus eſt, ex centrifugorum imbricatorum Linnæi genere, foliofis in ambitu, non tartareis conſtans lobulis, frondibusve, & quantum ex Seguierii colligo paraphraſi, idem plane cum eo, quem Ochroleucum alias dixi.

CCLXVIII.

LICHEN SANGUINARIUS. *Tab. 5. fig. 3. lit. b.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, tener, e vireſcente cineraſcens, farinaceo - glebuloſus; rivis, limitibusque nigricantibus; tuberculis lentiformibus immarginatis atris.

Lichen leproſus, cinereo - vireſcens, tuberculis atris: *Linn. ſpec. plant. p.* 1607. *num.* 4. *Schreber. ſpicil. lipſ. p.* 137. *num.* 1140. *Necker. delic. gallobelg. pag.* 501. *num.* 4. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 253. *num.* 928.

Lichenoides leproſum, cruſta cinereo - vireſcente, tuberculis nigerrimis. *Dillen. muſc. tab.* 18. *fig.* 3.

Lichen limitatus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 363. *num.* 1370. tum Lichen punctatus *ejusdem p.* 364. *num.* 1374. Et quam putat morboſam Lichenis æruginoſi Varietatem quartam *p.* 362.

Lichen cruſtaceus, arboribus adnaſcens, cruſta tenuiore cinereo - vireſcente, receptaculis florum nigris & tumentibus. *Michel. n. pl. gen. p.* 98. *num.* 35. tum Lichen *ejusdem p.* 98. *num.* 44.

Lichen cruſta farinacea vireſcente, ſcutellis (tuberculis) atris. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 100. *num.* 2065.

In quibusvis fere, tam pomiferis, quam ſylveſtribus arboribus Fago, Carpino, Quercu &c. vulgatiſſimus; hoc tamen non obſtante vereor, ut omnibus diſtincte ſatis cognitus ſit. Dubiis, quibus ex parte adhucdum circumſidetur, anſam credo dedit, quod Linnæus atra ejusdem tubercula, ſi quidem diffringantur, rubra intus aſſeruerit eſſe; quam proprietatem, neſcio,

neſcio, an alius adhuc, licet inquiſierit, conſtantem invenerit? nam quod deſiccata ea tubercula, ſubtili ſi transverſim ſcindantur cultello, tantillum omnino obſcuriſſimæ ex atro rubedinis admixtum videantur habere (rubra certe neque tum quidem ſunt, minus ſanguinea) id reflexioni duntaxat luminoſorum radiorum ex plano ſectionis tribuendum eſt; atque in aliorum quoque Lichenum tuberculis evenire poteſt. Neminem tamen ſciam autorum, qui hæc ſanguinarii Lichenis tubercula, ſive in prima, aut intermedia, aut & ultima ſua ætate (quemadmodum ea Lichenis criſpi, criſtati, lichenoidis, ex quo Tremellam Linnæus facit) rubra viderit. Eſt & aliud, quod hiſtoriam ſanguinarii hujus Lichenis minus expeditam reddit. Confuſus ſcilicet cum nonnullis aliis, mere rupeſtribus (petræo, calcario, forſan & fuſco-atro?) a quibus tamen differt, videtur fuiſſe. Hac ego quondam potiſſimum de cauſa circumſcriptum nominaveram eumdem. Hac eadem Scopolius de cauſa limitatum dixit, iterumque punctatum. Juvat, miſſis his, ejusdem dare deſcriptionem: cruſta mater ſanguinario eſt leproſo-tartarea, ſatis tenera, ſubtilisque, primum tenax, unita, & vireſcens; ex viridi dein cineraſcens in exiguas diſtracta glebulas; inordinate quaquaverſum diffuſa; undulatis ut plurimum percurſa, circumſcriptaque lineis tenuiſſimis, & nigricantibus; quæ nec in Petræo, nec in Calcareo occurrere ſolent. Lineas has inter, frequentia eidem, nullo ordine inſident tubercula atra, opaca, lentiformia, aut & ſubgloboſa, nullo coronata margine, diverſæ plane magnitudinis. Ab eo mihi diverſiſſimus omnino eſt, quem in ſaxis montis Calvariæ admodum frequentem inveni, ſequens.

CCLXIX.

LICHEN PETRÆUS. *Tab. 6. fig. 2. lit. a. a. a.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, ſuborbiculatus, e cinereo virore albens, impalpabilis; tuberculis lentiformibus atris opacis immarginatis ſubconcentricis obſitus.

Lichen cruſtaceus ſaxatilis farinaceus ex albo ſubcinereus, receptaculis florum nigris, exiguis. *Michel. n. pl. gen. ord.* 34. *p.* 99. *num.* 53.

Lichen cruſta tartarea albiſſima, ſcutellis (tuberculis) nigris. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. *pag.* 99. *num.* 2061. tum

Lichen cruſta farinacea, inſeparabili, cinerea, ſcutis nigerrimis confertis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. p. 99. *num.* 2062.

Communis in ſaxis montis Calvariæ &c. Specificos ſi caracteres attendas, proximus hic antecedenti, ſanguinario Linnæi; differt tamen & nativitatis loco rupeſtri, & defectu, quæ limites ejusdem circumſcribant, linearum, & habitu præterea, aſpectuque externo. Cruſta illi leproſo - tartarea, plerumque ſuborbiculatam, plus minus affectans extenſionem, duplo minimum altior ſive craſſior ea L. ſanguinarii; de ſe farinacea, ſed unita, confluens, impalpabilis; per exſiccationem duntaxat, & quidem microſcopice ſolum, in areolas depreſſas findenda polygonas, rimis capillaribus, augente præciſe lente, videndis. Nullæ eam, ut dictum, undulatæ pererrant ſed neque limitaneæ umquam circumſcribunt nigricantes lineæ; obſita duntaxat confertiſſimis eſt tuberculis lentiformibus, atris, opacis, immarginatis, exiguis, pauloque mixtim majoribus, adeo ut plurimum contiguis, ut aut reapſe confluant, aut confluere certe videantur. Ea etſi nul-

nullo certo eidem inſperſa ſint ordine, tamen plerumque in ſubconcentricas ordinata ſeries apparent; & deprimuntur denique exſiccatione tantiſper, ut adhibita vitrea lente, intra ſpongioſam cruſtæ ſubſtantiam ſemiſepulta conſpiciantur, in fornicatam humore iterum attollenda ſuperficiem. Colorem quod cruſtæ attinet, is griſeo - cineraſcens eſt non absque levi viroris tinctura, aër dum humidus eſt; magis tamen ſemper, magisque e cinereo exalbeſcit, quo ſudo, aut exæſtuante cælo deſiccatur magis.

CCLXX.

LICHEN SANGUINEO - ATER.

Lichen leproſo - cruſtaceus, farinaceus, albido - vireſcens; tuberculis hemiſphærico - convexis, immarginatis, ſaturate ſanguineo - rubris, ex rubro tandem atris.

Rarum Lichenem in ſylvis Labacenſibus *unterm Thurm* olim inveni, ipſa in terra argilloſa, ac pro L. Sanguinario L. aut certe ejusdem varietate tum habui; præſtat interim diſtinguere, dum graves ſubſunt rationes, quam antiquum Chaos amplius diſtendere. Farinacea in cruſtam ſeſe diffundens Lepra, ex albido - vireſcens, & e virore demum cineraſcens, uvidum argillaceæ declivitatis inſternebat ſolum; obſita undique hemiſphærico - convexis, ſphæroidicisve tuberculis, ſaturate ſanguineo - rubris, tandemque e rubro magis, magisque nigris, dum atra denique fierent; nullo ea erant ſive exſtante, ſive diſcolore circumdata margine; ſed neque limitibus circumſcripta, aut percurſa lineis cruſta. Ruppii (Flor. Jenen. pag. 379.) Lichenem cruſtaceum verrucoſum cinereum, ſcutellis ruberri-

mis, libens iſthuc revocarem, niſi ipſe de ſcutellis (non tuberculis) & ſcutellis cavulis cinnabarinis; & ejusdem interpres Hallerus (hiſt. ſtirp. helvet. Tom. 3. pag. 98. Nro. 2050.) de ſcutis quidem, attamen planis ac difformibus, loquerentur.

CCLXXI.

LICHEN CARBONARIUS. *Tab. 6. fig. 2. lit. b. b.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, farinaceus, ater; tuberculis hemiſphærico - convexis obſitus aterrimis.

Lichen cruſta aterrima, continua, glebulis ſubrotundis. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 3. p. 102. num. 2084.*

Lichen ſuſco - ater. *Weiſſ. crypt. p. 39.*

Paſſim in ſaxis nudis ſylvarum Montis Calvariæ, Zigulnenſibus, item Schmalzbergel, cruſtis eadem interdum ampliſſimis operiens; diſtinctiſſimus omnino (ut jam Hallerus adnotaverat) a Byſſo Linnæi Antiquitatis pulverulenta, quæ tuberculis caret ſemper, farinaque eſt multo molliore &c. Lepra Carbonario Licheni eſt & ipſa farinacea, duriuſcula tamen tactui, in cruſtam, qua rupes inſternit, ſat continuam, humilem, arctiſſime hærentem, atram, cohærens; obſita undique copioſis, ac ſæpe confertim aggregatis lentiformibus, ſphæroidicisve tuberculis, aterrimis, immarginatis, manifeſte ultra reliquam cruſtam eminentibus, ac cum tempore (per exſiccationem utique?) tantiſper deprimendis, aut & in ſcutellas cavulas introlabentibus. Indubium eſt, hunc eumdem a Weiſſio, loc. cit. ſub nomine *ſchwarzer Kruſten Lichem*, intellectum eſſe; ſed minus recte

cum

cum Lichene fuſco - atro Lin. conjunxit. Nec placet Halleri ſynonymum Lichenis Nro. 2062. quod, ut paulo antea innui, ad Lichenem petræum pertinere videtur. Vel hodieque (ut olim ſuſpicatus fueram) Halleri Lichenem Nro. 2052. pro Carbonarii citaſſem ſynonymo, niſi iterato, & maturiore deprehendiſſem examine, Hallerum iſthic de Lichene loqui, Agaricis ſuis, ratione cruſtæ ſuæ, perſimili; non ſebaceæ quidem, ſed vere tartareæ naturæ; attamen duplici ſuperficie conſtante; quarum inferior foveolis puſtulata ſit, in ſuperiore ejusdem ſuperficie, inſtar tuberculorum, tantiſper eminentium; quod de Carbonario Lichene, ſaxis firmiſſime adnato, neutiquam admitti poteſt.

CCLXXII.

LICHEN SPECIOSUS. *Tab.* 7.

Lichen centriſugus ſubimbricatus repens, ſubtus niveus, ſupra ex albido virore per exſiccationem lacteo - ſubcæruleſcens; foliolis lineari - frondoſis, frondibus pinnatifido - lobatis, per oras piloſo - ciliatis; laciniis terminalibus obtuſis, obſitisque glomerulis farinaceis; ſcutellis fuſco - rufis, margine incano - vireſcente, integro crenulatove cinctis.

Specioſiſſimum omnino Lichenem, nuſpiam, quam in ſylvarum Montis Calvariæ ſaxis, aut per adſita iisdem Hypna, repentem inveni; ſed neque ex Autoribus, quos plurimos conſuli, eruere potui. Diverſiſſimus plane a Lichene hiſpido autorum, ſive Scopolii tenello, nam in humore, aut aqua numquam ſupra albus, verum elegantiſſimi maris viroris

(*verd*

(*verd de mer*) ſiccus contra ſemper niveus, cum neſcio qua? emorientis cærulei (*bleu mourant*) tinctura. Præterea, quamquam foliaceus (nec cruſtaceus ſive tartareus) tamen adſcendens numquam, immo proſtratus eſt ſemper, marginalibus, radicularum loco, ciliis, ex albo tandem ſubnigricantibus, repens; tam firmiter ſaxis hærens, ut niſi admodum, uvidum, ſubtili deradas cultello, ab iisdem integrum haud avellas. Foliolis cum ſit e centro quaquaverſum in orbem diffugientibus, ad centrifugos, quos Linnæus imbricatos dixit, haud dubie pertinet. Eum prima dum vice vidi, niveus, tum & lacteo - ſubcæruleſcens erat, utpote ſerena ficciſſimus tempeſtate, credidique pulchellum eſſe Lichenem meum, adeo eidem ſimilis videbatur eminus per omnia, ſed inſpectum dein propius, & ut a ſaxo deciperem, intra aquam repoſitum tantiſper, non potui non alieniſſimum ab eodem, vel e colore ſolo, agnoſcere. Folia eidem tenerrima, linearifrondoſa, e centro undique divergentia, cum tempore etiam ſubimbricatim eluxuriata; frondibus pinnatifido - lobatis; lobis obtuſe, & rotundato - laciniatis, per oras ciliatis, apice ſupra glomerulis pulverulentis, hemiſphærico - convexis, aquoſius (in humore) viridantibus, obſitis; unde eidem criſpa velut facies. Color, ut innui, ſubtus niveus ſemper; ſupra in juvene, aut humente, e glauco - viridis, in deſiccato lacteus, aut & lacteo - cæruleſcens. Probe diſtinguendus hic Lichen ſpecioſus, mere rupeſtris, ab Lichenoide Dillenii hiſpido minore & teneriore ſcutellis nigris pag. 152. tab. 20. fig. 46. quem Linnæus perperam cum Lichene ciliari confundit. Noſco omnes hos Lichenes. Tam ciliaris quam hiſpidus arborei ſunt, aſſurgentes, erectiuſculi, ciliis laciniarum longis &c. Specioſus contra pure rupeſtris, centrifugus, per ſaxa & muſcos decumbens, repens, arctiſſime hærens, oris loborum ſubtus breviſſime ciliatis, ciliis non fluitantibus aut erectis, ſed ſaxo, radicularum inſtar, adhærentibus, &c.

CCLXXIII.

CCLXXIII.

LICHEN PHYSODES. *Tab.* 8.

Lichen centrifugus ſubimbricatus, libere decumbens; frondibus teretiuſculis fiſtuloſis ſubpinnatifido-lobatis; lobis apice obtuſis, ſubtus inflatis, primum imperviis, tum hiantibus; ſcutellis ſubſeſſilibus, foliaceis, viridi-flaveſcentibus, demum rufis.

Lichen imbricatus, laciniis obtuſis ſubinflatis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1610. *num.* 26. *Schreber. ſpicil. lipſ. pag.* 129. *num.* 1124. *Leerſ. flor. herborn. p.* 258. *num.* 953. *Necker. del. gal. pag.* 510. *num.* 23. *Weiſſ. crypt. p.* 57. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 393. *num.* 1405. *Gerard. galloprov. pag.* 28. *num.* 4. *Gunner. flor. norveg. tom.* 2. *pag.* 56. *num.* 563.

Lichenoides ceratophyllum obtuſius & minus ramoſum. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 20. *fig.* 49.

Lichen fronde profunde laciniata, cava, cornubus pulverulentis. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 92. *nnm.* 2018.

Lichen pulmonarius arboribus adnaſcens, deſuper cinereus, ſubtus anthracinus, ſegmentis teretibus, tubuloſis, corniculatis, ad extremitates clauſis aut hiantibus, receptaculis florum ſubrubentibus. *Michel. nov. pl. gen. pag.* 92. *ord.* 25. *num.* 1. & 2. *tab.* 50. *fig.* 1. & 2.

Nihil frequentius Lichene hoc, in arboribus ſylvarum quibusvis, Quercu, Pino &c. rarius tamen florens. Mihi, prout in figura exhibetur, cum ſcutellis in quercubus ſylvarum Hasbergenſium prope Planinam occurrit. Nec a ſaxis exulat. Copioſiſſimum in iisdem, ſaxatili intermixtum,

inveni *dans les bruyeres* ſupra aquas Spadanas, elegantiſſime ad loborum extremitates pulverulento - criſtatum. Weiſſius cum L. ſaxatili conjungere debebat numquam, ab eo longe quam diverſiſſimum, ſi quis interim alius, is certe varietatibus obnoxius plurimis, plerumque tamen, ut videtur, a diverſa duntaxat ætate dependentibus. Eſt vero extra omne poſitum dubium, e centrifugorum numero eſſe, quos Linnæus imbricatos dixit, peculiari inter omnes ſe diſtinguens nota frondium interne inanium & fiſtuloſarum, ſub apice inflato - tumentium, primum imperviarum, hiantium denique oſculo patulo. Folium illi decumbens, attamen fere libere, nullis inferne radiculis (ut ſaxatilis) repens; roſæ inſtar in orbem patens; in frondes ſubpinnatifido - lobatas ad centrum fere usque diſciſſum, peripheriam verſus quaquaverſum diffugientes, & ex decubitu velut, tantiſper aſſurgentes. Frondes illæ utrinque læves, & fere nitentes, teretiuſculæ plus minus ſunt, duplici conſtantes membranula; ſuperiore & inferiore, ab invicem diſtinctis; ſpatium, medullæ loco, inane, fiſtuloſumque per omnem longitudinem, intercipientibus; lobulorum extremitatibus obtuſis, ſub apice inflato - tumentibus & bruneis; clauſis primum, demum diſruptis & foramine hiantibus. Color recentis, humidæve plantæ ſupra, ex glauco viridis; per deſiccationem cinereo - glauceſcens; dum triſte albeſcat denique; ſubtus autem, præter inflatos lobulorum apices dilute bruneſcentes, ater. Scutellæ, quæ hac in ſpecie rarius conſpiciuntur, dum adſunt, ſat copioſæ, & majuſculæ; ſuntque ſeſſiles, ſubſeſſilesque, foliaceo - membranaceæ, primum hemiſphærico - concavæ & integræ, tum inordinate concavæ, ambitu ſinuato - repandæ, ſubtus albidius ſubvirentes, ſupra ex viridi flaveſcentes, dum e flavedine, plus minus ruſeſcant denique. Variantes Lichenis iſtius notæ (ſive eæ demum loci, ætatis, aut tempeſtatis viciſſitudinibus adſcribendæ ſint) ſunt ſequentes. Folia alias ſupra

pra ſunt glabra, nuda, & quaſi pinguedine leviter oblita, ſcilicet prima in ætate, & in arboribus; alias contra farinaceo undique pulvere, glauco - cineraſcente inſtrata; dum nudas ſuper rupes feneſcere videtur. Teretiuſculæ primum frondes, earumque pinnæ, lobive; deprimuntur demum tantiſper lateſcentes; non tamen absque omni ſuperne convexitate. Simplices nunc, absque imbricatione, peripheriam verſus a centro diffugiunt illæ; at nudis inſtratæ ſaxis, eluxuriatæ mihi occurrerunt ſæpius, aliæ ſcilicet aliis, imbricum more ſuperincumbentes. Vidi lobulorum extremitates nudas, lævesque; vidi tamen etiam ſuo ſingulas pulvillo hemiſphærico pulverulento obſitas; qui apice non raro introlabens, umbilicatum abundantiæ cornu referebat; hinc frondibus hujusmodi, criſpo - pulverulentoque - criſtata facies. Rarius pulvilli tales, non quidem ad lacinularum extremitates, ſed ad intermedium longitudinis frondium dorſum ſparſi occurrunt. Idem hoc earumdem dorſum, ſive verius ſupera frondium membrana, quamquam integra plerumque, ſolet tamen & ſparſis interdum pertuſa eſſe foraminibus. Decrepita tandem Lichen in ætate, aut nimio forſan humore? ſua exſpoliatus elaſticitate, deprimitur complanatus, exſtante utrinque per frondium latera margine atro, ex diſrupta longitudinaliter inferiore anthracina membrana. Lobulorum extremitates primum obtuſæ, rotundatæ, integerrimæ, inferne membranula bruneſcente inflata tumeſcentes, & imperviæ; ea diſrupta, foramine hiant apertæ, & apice emarginatæ.

CCLXXIV.

LICHEN CANDELARIS. *Tab. 6. fig. 1.*

Lichen leproſo - cruſtaceus, ſaturate flavus, cruſta tartarea ſubor biculari centrifuga, peripheriam verſus rugoſa, ſubpinnatifido-lobata; tuberculis, ſcutellisque concoloribus.

Lichen cruſtaceus flavus, ſcutellis luteis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1608. *num.* 13. *Schreb. ſpicil. lipſ. p.* 133. *num.* 1131. *Leerſ. flor. herborn. p.* 254. *num.* 935. *Weiſſ. crypt. p.* 46. *Scopol. flor. carn. 2. tom. 2. p.* 366. *num.* 1378. *Necker. del. gallobelg.* mutato perperam nomine Lichen ſulvus. *pag.* 502.

Lichenoides cruſtoſum, orbiculis & ſcutellis flavis. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 18. *fig.* 18.

Lichen pulmonarius ſaxatilis farinaceus coloris aurantiaci, foliis (tartareis) magis appreſſis receptaculis florum concoloribus. *Michel. n. pl. gen. p.* 95. *num.* 14. 15. 16.

Lichen fronde laciniata, rotunde lobata, flava concolore. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *pag.* 93. *num.* 2023.

Nudis in ſaxis, & muris ubique obvius. Cruſta conſtat mere tartarea, craſſiuſcula, ſubpulpoſa, in orbem diffuſa, arctiſſime petris hærente; rugis, ſulcisve longitudinalibus, a centro peripheriam verſus ſubundatim diffugientibus, & ad extremitates, frondium inſtar, ſubpinnatifido-lobatis, exarata, coloris plerumque ſaturate aurantiaco-flavi. Inſident eidem centrum verſus copioſæ, & concolores ſcutellæ hemiſphærico-concavæ, marginatæ, promiſcue tuberculis concoloribus convexis lentiformibus mixtæ.

tæ. Videntur hæc ex illis, cum tempore, orta. A Lichene parietino L. Juniperino, qui foliacei, non cruſtacei, ſunt, facile diſtinguendus, neque cum Byſſo candelari L. quæ mere pulverulenta eſt, ſcutellis carens, nec in frondes tartareas lobatasque cohærens, confundendus. Mihi, ut verum fatear, hic idem omnino eſt cum Lichene Dioſcoridis & Plinii ſecundo. Scio Veterum horum Autorum Lichenem, ab Hallero ad Lichenem parietinum L. revocari; a Fabio Columna vero, Linnæoque in flora ſuecica, ad eam Lichenis parietini varietatem flavo-vireſcentem, quam cum Juniperino confundunt quidam; ſcio & denique a Michelio eumdem ad L. ochroleucum meum citari pag. 94. ord. 30. Nro. 6. & 7. tab. 51. fig. 4. 5 ſed non moror autoritates has, ad rationum attendens momenta. Sane plusquam certum eſt, omnes Lichenes hos, foliaceos, non tartareo-cruſtaceos eſſe. At ille contra Plinii, Dioſcoridisque cruſta duntaxat tartarea, & leproſa eſt, non foliacea; hac enim ſolum de cauſa, ut Columna refert, eumdem a Lichene primo ſeparaverunt, quia hic folioſus eſt.

CCLXXV.

LICHEN ACETABULUM. *Tab. 9. fig. 1.*

Lichen foliaceus depreſſus plicato-lobatus ſaturate viridis; lobis lateſcentibus, ſinuato-undatis; ſcutellis cutaneis ſubſeſſilibus ſubcrenulatis, concoloribus (exſiccatione fuſco-rufeſcentibus) extus tuberculis albis farinaceo-leproſis muricatis.

Lichenoides acetabulis cutaneis & rugoſis. *Dillen. hiſt. muſc. tab. 24. fig. 79.*

Lichen pulmonarius arboreus e cinereo viridis. *Vaill. bot. paris. tab.* 21. *fig.* 13.

Lichen pulmonarius, inferne obscurus, desuper e glauco virescens, receptaculis florum amplioribus, ac densioribus, ex atro fuscis. *Michel. pag.* 90. *num.* 1. *tab.* 48. *fig.* 2.

Lichen viridis concolor, scutellis planis, serratis. *Haller. hist. stirp. helvet. tom.* 3. *pag.* 89. *num.* 2006. *Leers. flor. herborn. pag.* 258. *num.* 956.

Lichen acetabulum imbricatum, foliolis margine obtusis; scutellis folio concoloribus, subtus rugosis. *Necker. del. gallobelg. p.* 506. *num.* 16.

Frequens in Populo nigra, tum Quercubus &c. Caperati adinstar Lichenis, rosacee per arborum truncos in orbem, sese ejusdem distendit folium, ramulos earumdem quandoque etiam obvolvens, ea, qua Lichen glaucus, ratione solet. Id, de se unicum, quo in orbem se diffundit amplius, in plures quoque peripheriam versus plicatur lobos latescentes, sinuato-undatos, subimbricatosque; laciniis extimis obtusis, rotundatis, subtus (si ultimas loborum lacinias, paululum elevatas, dilute brunescentes & læves, demas) atrum, copiosis primum, minimisque & concoloribus, arborum cortici adglutinatum hæret radiculis, supra contra, vegeta in ætate, aut cœlo humido, saturate viridi est colore, nitoris expers; etsi demum nimio humore ex viridi flavescat, aut nimio desiccatum æstu, glaucescente superinducatur halitu. In scutellas, ut plurimum, efflorescit frequentissimas, præprimis centrum versus; hæ sessiles, subsessilesque, mirum persæpe augentur in modum distentæ. Foliaceo- & ipsæ cutaneæ; primum, inanem in globum contractæ, apice dehiscunt; dum in cavum sese evolvant hemisphærium, margine subcrenulatum, in discum applanatæ denique. Cava supera in parte, coloris eæ sunt, ut folium mater, saturate vi-

viridis, & læves, exſiccatione tamen ſemper in fuſco-rufeſcentem, ſeu bruneo-rufum, color ille abit; viridis intra aquam denuo futurus. Infera, libereque exſtans contra earumdem ſuperficies, pallidius viret identidem, rugulis exarata vagis, muricataque velut, tuberculis albis leproſo-farinaceis.

CCLXXVI.

LICHEN QUERCIFOLIUS. *Tab.* 9. *fg.* 2.

Lichen foliaceus, depreſſus, repens, centrifugus, frondoſo-lobatus, dilute glauceſcens; frondibus ſinuato-pinnatifidis; laciniis rotundatis, ſinuatis; ſcutellis obſcure rubris, margine albo.

Lichenoides ſubglaucum, cumatile, foliis tenacibus, eleganter laciniatis. *Dillen. hiſt. muſc. tab.* 26. *fig.* 99.

Lichen pulmonarius, arboribus adnaſcens, maximus, inferne obſcurus, deſuper e glauco cinereus; receptaculis florum rubris; ſeminibus nigricantibus. *Michel p.* 83. *tab.* 46.

Lichen fronde rotundo-lobata; inferne ſcabra, arbuſculis obſcuris. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 89. *num.* 2004.

Lichen ampliſſimus foliaceus repens lobatus, ſupra cinereus, infra roſeus, tomentoſus, ſcutellis rubris. *Scop. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *pag.* 386. *num.* 1393.

Lichen pulmonarius, querno folio, inferne nigricans, ſuperne cinereus, receptaculis florum ſordide virentibus. *Michel. p.* 86. *ord.* 15. *tab.* 45. *num.* 1. *& num.* 2. Nam idem eſt.

Li-

Lichen rotunde lobata fronde, glauca, polline (in ſenectute) concolore ſcabra, ſubtus hirta, & atra. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. *pag.* 90. *num.* 2008. *Leerſ. flor. herb. p.* 258. *num.* 955.

Una duntaxat vice elegantem hanc Lichenis ſpeciem, e pulmonariorum claſſe, in ſaxo, ex quarzo & ſteatite cæruleſcente, compoſito, retro Caſtellum Zigulnenſe inveni hactenus; rariuſcule in Fago ſylvatica; at in Quercubus frequentiſſime ſemper; neque tamen ideo potiſſimum, quercifolium dixi Lichenem; frondes imo (aut ſi malis laciniæ? lobive?) in quas peripheriam verſus divelli, ſive abire ejusdem amat folium, foliis Quercus roboris, utcunque ſimiles, ſpecifica huic denominationi præprimis dedere anſam; ut vel ante me jam judicioſiſſimus agnovit Michelius. Folium hoc, coriaceis cum tempore accedens, ſubtus aterrimum, radiculisque pariter atris, & exiguis, confertiſſime cirroſum, arcte arboribus adglutinari ſolet, per easdem in orbem divergendo prorepens, centrifugorum adinſtar Lichenum, ambitum verſus in magis, minusve profundas diſciſſum frondes, ſinuato-ſubpinnatifidas; lobis obtuſis, ſubrotundis, ſinuato-emarginatis, ſubimbricatis, ſuperne id (prima ſaltem in ætate) planiuſculum, lævigatum, & tantum non nitens etiam, eſt, coloris ſemper albido-glauceſcentis; ſed ad ampliuſcula cum tempore diſtentum ſpatia, rimis etiam quercuum profundioribus dilaceratum, inæqualem pariter nanciſcitur ſuperficiem, pulvere (ſeminali?) jam concolore, jam & atro, copioſius, aut minus copioſe adſperſam undique. Scutellis abundare ſolet Lichen iſte copioſiſſimis & per laciniarum lobos, & centrum præprimis verſus, ſeſſilibus, majuſculis, minoribus, promiſcueque microſcopicis etiam. Eæ, ut plurimum, integerrimæ, hemiſphærico-concavæ, obſcure rubræ (longiore humectatæ tempore, aquoſe olivaceo-vireſcentes) margine

ele-

elevato craſſiuſculo albo, coronatæ. Rarius ea, quæ ſcutellis abundant ſpecimina, in juvenili cumprimis ætate, polline dicto adſpergi ſolent. In quibus contra aut nullæ, aut nonniſi pauciuſculæ occurrunt ſcutellæ, ſi præſertim veteraſcat jam ſolium, liberaliſſima ſimul eodem undique conſitum eſt manu. De pulvere hoc, curioſius microſcopiis examinato, ſic habe: Anthracinarum inſtar atomorum per phalanges interdum hinc inde ſparſus eſt ſeſſilis, farinam dixeris atram; cineritii alias coloris eſt acervatim agglomeratus; aſſurgunt nunc tam hi, quam illi, microſcopicum in ſtipitulum; ſimplicem, ramuloſumve, coralliformem, eodem pariter inſperſum polline; ut fruticulos, arbuſculasve microſcopicas non incongrue referant. Ex his ratio patet, cur Halleri, Michelianaque conjunxerim in unum ſynonyma; neque enim, niſi ætate, infloreſcentiaque differunt. Roſeum ſubtus Scopolius dicere non debebat, qui omnium conſenſu ater inferne eſt, extimis duntaxat loborum laciniis ſubtus aquoſe bruneſcentibus, & lævibus, ſed neque Michelius pag. 88. cruſtaceum afferere, quem ſimul coriaceum, uti re vera eſt, dixit. Rubræ ejusdem ſcutellæ, uti exploratus ipſe ſum, intra aquam pluſculo tempore, aquoſe olivaceo - vireſcentes fiunt; humore itaque madentes Michelius viderit, dum ſordide virentes pronunciavit.

CCLXXVII.

LICHEN CRISPUS. *Tab.* 10. *fig.* 1.

Lichen gelatinoſus, centrifugus, ſinuoſo - plicatus, breviter multilobus; lobis ſuberectis, rotundatis, undato - criſpis, una cum ſcutellis margine tuberculoſo - crenulatis.

Lichen imbricatus, foliis lobatis truncatis crenatis, atro - viridibus, scutellis concoloribus. *Linn. syst. nat. tom.* 2. *p.* 710. *Schreber. spicil. lipsi. pag.* 127. *num.* 1121. *Leers. flor. herborn. pag.* 256. *num.* 944. *Pollich. pl. palat. tom.* 3. *pag.* 229. *num.* 1102. *Weber. spicil. pag.* 254. *num.* 281.

Lichenoides gelatinosum atro - virens, crispum & rugosum. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 23.

Abunde in sylvis supra saxa, Briis persæpe immixtus, sub Ziguln. Etiam rupibus calcareis nudis increscens *im Birnbaumerwald* inter Hyperlabacum & Planinam; tum prope Dirschnbach in Tyroli &c. Folium circumscriptione orbiculatum, tertiam lineæ partem in humore crassum, pulposulum, gelatinosum, obscure virens, transparens, saxis instratum, & absque radice adhærens; exsiccatione nigrum, rigidum, fragile; papyri fere tenuitate. Illud jam unitum magis, peripheriam duntaxat versus, breves in lobos rotundatos dividitur, cujuscemodi figura Dillenii exhibet; jam rugis, alternisque porcis longitudinalibus, sinuoso - plicatis, crispatum, aut & in frondes vage ramosas, multilobas, a centro diffugientes profundiuscule sectum, lobulis undato - plicatis, per omnem late superficiem assurgentibus, numquam non gyroso - crispam præ se fert faciem. Lobuli tam peripheriales, quam ramulorum, plicarumque interiorum erectiusculi, obtusi, rotundati, per oras (in humente planta, tantum videndis) nodulis pulposis exiguis obsiti, atque hinc, hocce in statu velut tuberculoso - crenulati. Sparsæ per superam folii paginam frequentes sunt scutellæ sessiles concavo - orbiculares, & ipsæ quoque pulposæ, & gelatinosæ, firmioris nihilominus tantisper consistentiæ, nec transparentes; folio primum concolores, at demum obscurius, aut dilute magis, rubræ; ora marginis ex

no-

nodulis exilibus, in humente duntaxat planta videndis, tuberculoſo - crenulata. Eædem per ætatem, nimiumque, aut diuturnum humorem, exaltato concavitatis centro, in ſcutula, ſeu tubercula convexo - lentiformia abeunt, cincta baſi annulo exſtante tuberculoſo - crenulato.

CCLXXVIII.

LICHEN GRANOSUS. *Tab.* 10. *fig.* 2.

Lichen gelatinoſus centrifugus ſinuoſo - plicatus multilobus; lobis ſurrectis, rotundatis, undato - criſpis; granulis ſphæroidicis & ipſis gelatinoſis, & transparentibus in anfractuum cavitatibus ſubauricularibus conferte aggregatis.

Lichenoides gelatinoſum atro - virens auriculatum, & granoſum. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 24.

Lichen granoſus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 397. *num.* 1411. *Oeder. flor. dan. tab.* 462. *fig.* 1.

Perquam & hic copioſus primo vere in ſaxis muſcoſis aſpergine irroratis, inter utrumque ſtagnum inferius Zigulnenſe. Tum & in rupibus calcareis *des Birnbaumerwalds.* Hic, Licheni criſpo plurimum cætera ſimilis, ſpecificis tamen notis ab eo diſtinctiſſimus; ut adeo nequaquam Cl. Webero, in ſpicilegio Göttingenſi, aſſenſum præbere valeam, aſſerenti: juniorem Lichenis criſpi varietatem eſſe. In auriformibus illis plicarum anfractibus Lichenis criſpi, numquam viſa eſt multiplex ea globellorum viridium gelatinoſorum & ſemidiaphanorum congeries! Parcius duntaxat, aut copioſius, vage tamen ſemper, omnem ejusdem per ſuperficiem ſparſæ oc-

currunt, vel prima jam in ætate, vere ſcutellæ, tuberculoſo - crenulatæ, ejusdem equidem tum coloris cum folio, attamen non transparentes! & cum tempore magis minusve rubræ! & in lentiformia demum ſcutula abeuntes! quæ de Lichene granoſo dici haud quaquam poſſunt! & ſi dicerentur, quæſo teſtem, qui Granoſum viderit, cum ſcutellis Criſpi turmatim, per auriformes ſinuum cavitates, aggregatis? nam ex ſingulis utique illis granulis tralucentibus, ſcutellæ demum opacatæ, per turmas anfractuum diſpertitæ oriri deberent! Folium ergo Granoſo Licheni eſt, ut jam dixi, ſimillimum quoad expanſionem, frondes, lobos, ſinuoſo - gyroſam, & criſpam faciem, tum & quoad colorem, craſſitudinem, transparentiam, & naturam gelatinoſo - pulpoſam, ſimillimum inquam ejus, Lichenis criſpi; nigreſcitque pariter & illud exſiccatione, in membranam ſubcoriaceam rigidam & fragilem transmutatum. Nullæ in eo viſuntur umquam ſcutellæ, ſive atro - virentes, ſive rubræ; earum contra loco, in cavitatibus duntaxat ſinuum plicarum (non ſemper) auriformibus, per phalanges ſtipatiſſime coacervati globelli gelatinoſi, virides, diaphani, multo plicis ipſis humiliores.

CCLXXIX.

LICHEN SUBMARGINALIS.

Lichen gelatinoſus, proſtratus, ſubfrondoſus, ſinuoſo - criſpus, granis ſphæroidicis ſubmarginalibus laxe obſitus.

Lichenoides gelatinoſum, lobis craſſioribus, fuſco - viridibus. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 22.

Cla-

Clagenfurti ſub monte Calvariæ in aggeribus lapidoſis argillaceis primo vere poſt pluviam cum Riccia glauca; Phaſco pilifero &c. Folium gelatinoſum, atro - virens, ſubdiaphanum, pinguiuſculum, late diffuſum, proſtratum, libere tamen absque radiculis ſolo hærens; Jungermanniæ pinguis adinſtar, in frondes lactucæ æmulas, obtuſas, ſinuoſo - criſpas, & ipſas humifuſas, attamen margine ſuberectas, vage diviſum; laxe ſuperne obſitum verſus margines, granis ſphæroidicis majuſculis ſeſſilibus, & ipſis gelatinoſis, farctis, atro - virentibus, ſubdiaphanis. Exſiccatione nigreſcit contractum, imbibitumque velut a terra diſparet, affuſa iterum vivificandum aqua. Nec Michelii, nec Halleri adoptavi ſynonymum; nullos in meo obſervavi, neque grana, vel per ætatem, aut exſiccationem, rubeſcere.

CCLXXX.

LICHEN OPUNTIOIDES.

Lichen gelatinoſus proſtratus ramoſiſſimus, ramis diffuſis, ſubarticulatis, ſubreniformi - lobatis; granulis undique obſitus globoſis.

Lichenoides gelatinoſum, foliis latioribus, tuniformibus. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 29.

Clagenfurti frequens primo vere poſt pluvias in aggeribus ſepiariis lapideis, argilla inſtratis, varia inter Brya, extra ſuburbium ſancto - Vitanum. Opuntioidem hunc dixi Lichenem, quod probe inſpectum ejusdem folium, Corallinæ opuntiæ Linnæi meminiſſe me fecerit ſemper. Non equidem foliaceis, ut in hac, articulis, inſerti reapſe ſunt articuli; eam ta-

men gelatinoſæ iſtius algæ ramificationes, & harum iterum lobi, oculis ſpectandam exhibent faciem, ut vel invitus, marini illius Zoophyti? admoneare. Humi jacet fuſa, gelatinoſæ membrana ſubſtantiæ, late quaquaverſum diſtenta, pulpoſa, craſſiuſcula, atro - virens, ſemidiaphana, breves iteratasque velut per dichotomias ramoſa; ramulis & ipſis proſtratis, nec aſſurgentibus; de ſe planis, & omnino continuis, ita nihilominus ſinubus utrinque exſtantibus lobato - velut alatis, ut ex articulis ſubreniformibus mutuo inſertis concatenatos dicas. Omnem, qua late tenditur, folii iſtius, ramorumque ſuperficiem ſuperam, globelli occupant minimi, folio ſtipatiſſime innati, ejusdem cum eodem & naturæ gelatinoſæ, & coloris, diaphaneitatisque, qui, quod Dillenius haud obſervavit, aut obſervare flocci habuit, ubi folium exſiccatione nigreſcens contrahitur, ex virore in Chermeſinum obſcure ruborem emoriuntur.

CCLXXXI.

LICHEN PAPYRACEUS. *Tab.* 10. *fig.* 3.

Lichen papyraceo - membranaceus, ſubgelatinaſcens, viridi - ater, orbiculatus, ambitu breviter plicato - lobatus; lobis amplis rotundatis, integerrimis; granulis ſupra obſitus innatis creberrimis, homogeneis, concoloribus.

Lichenoides gelatinoſum membranaceum tenue nigricans. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 20.

Lichen pulmonarius membranaceus gelatinoſus pullus, in ſegmenta latiora diviſus, receptaculis florum exiguis, obſcure rubeis numeroſiſſimis. *Michel. nov. plant. gener. p.* 87. *ord.* 16. *num.* 1.

Li-

Lichen gelatinoſus membranaceus exaſperatus convolutus atro - viridis, ſcutellis rubris. *Haller. hiſt. ſtirp. helv. tom.* 3. *p.* 95. *num.* 2037.
Lichen nigreſcens. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 256. *num.* 954.
Lichen lactuca. *Weber. ſpicil. götting. p.* 252. *num.* 280.
Lichen criſtatus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *pag.* 396. *num.* 1410.

Habitat plurimus, nudis in ſaxis Clagenfurti ſub monte Calvariæ, ſylvarumque Zigulnenſium. Inter omnes gelatinoſos, hic minime pulpoſus; papyri omnino teneritudine; ſubtilem, vel aquis irroratus, lentamque, & obedientem membranam, ſummum ſubgelatinaſcentem. Eadem roſacee in orbem diſtenta, non umbilico duntaxat ſolo, ſed quanta quanta eſt, averſa ſaxis parte absque radice adglutinata, extimos modo peripheriæ lobos, ex plicis criſpos, parumper attollit; eſtque inferne nuda, inæqualiter foveolato - lacunoſa, obſcure viridis; ſupra contra, vel humens, atra; luci obverſa, velut e virore ſubdiaphana; plicis a centro diffugientibus plus minus ſinuoſe porcata, granulisque innatis exiliſſimis homogeneis, & concoloribus creberrime undique exaſperata. In frondes profunde diſſectam, vidi numquam; ſemper unita, continuaque, centrum duntaxat verſus, plicis, rugisve plus minus eluxuriari ſolet, peripheria extima breviter lobata, lobis ampliuſculis, rotundatis, integris, undatocriſpis. Exiſtimat Hallerus (minus tamen, ſi quid video, recte) Lichenis criſpi Varietatem juvenilem eſſe; ſed neque, per plures licet annos in ſaxis exiſtentem conſideraverim, concavas rubrasque Scopolii, & fimbriato - criſtatas ſcutellas detegere potui.

CCLXXXII.

CCLXXXII.

LICHEN LICHENOIDES. *Tab.* 11. *fig.* 1.

Lichen foliaceo - gelatinoſus, atro - virens, frondoſus; frondibus decumbentibus, centrifugis, ramoſo - laciniatis; laciniis margine ciliatis; ſcutellis concoloribus, demum rubentibus, obſitus.

Tremella Lichenoides, frondibus erectis planis, margine criſpo - lacinulato. *Linn. ſpec. plant. p.* 2625. *num.* 4. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *pag.* 143. *num.* 1092. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *pag.* 328. *num.* 2600. *Pollich. hiſt. plant. palat. tom.* 3. *p.* 270. *num.* 1138. *Necker. del. gallobelg. p.* 523. *num.* 5.

Noſtoc, qui Lichen terreſtris minimus fuſcus. *Vaillant. bot. pariſ. p.* 144. *num.* 5. *tab.* 21. *fig.* 15.

Lichenoides pellucidum Endiviæ foliis tenuibus criſpis. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 31.

Lichen terreſtris membranaceus mollior fuſcus, receptaculis florum ſordide rubris perexiguis. *Michel. n. pl. gen. p.* 76. *ord.* 3. *tab.* 38. figura minus bona.

Lichen atro - cæruleus laciniatus, & ciliatus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. *pag.* 94. *num.* 2032.

Lichen Tremelloides. *Weiſſ. crypt. p.* 25. *Leerſ. flor. herborn. pag.* 256. *num.* 947.

Lichen criſpus. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *p.* 397. *num.* 1412.

Clagenfurti *in der Sattniz* in ſaxo brecciato calcareo, nudo, ubi a ſole exuſtus ater, halitu glauco - cæruleſcente obductus. Tum in ſaxis

um-

umbroſis inter montem Calvariæ, & Ziguln, Muſcis inſtratus, ubi atro-virens, naturali colore. Vel in ultimis adhuc operibus Tremellas inter reliquit Linnæus haud dubie, quia nec ipſe, nec Dillenius ſcutelliferum vidit. Videre interim alii, liberaliter iisdem obſitum. Tremellis vel ideo minus recte adſociandus, quia ſi papyraceum demas Lichenem, nullus gelatinoſorum minus pulpoſus eſt. Frondibus is conſtat ſat teneris, foliaceis, humore gelatinaſcentibus, obſcure virentibus, ſemidiaphanis, tum nigris, a centro in orbem diffugientibus, proſtratis, peripheriam verſus e decubitu tantiſper aſſurgentibus, planiuſculis, ramoſo-laciniatis, laciniis extimis vage diſſectis, multifidisque, ac molliter ſpinuoloſo-ciliatis; ſupra (non ſemper) copioſe ſcutellis obſitus, primum concoloribus, tum ſaturatius, aut dilutius rubentibus. Exſiccatione de more nigreſcit contractus, ac, ſi quidem nudis in petris radiis pateat ſolis identidem, glauco obductus halitu, ex atro-cæruleſcit denique. Ad eumdem ex Dillenio plures Hallerus alios, tamquam ejusdem Varietates, revocat; ſed ſi de figuris 33. 34. & 35. id lubens dem; aliam tamen longe ſpeciem figura 32. denotat. Certe color atro-cæruleſcens nulli gelatinoſorum naturalis eſt; veniente venit ætate; præprimis cum deſiccati jam ſolis exuruntur radiis.

CCLXXXIII.

LICHEN FASCICULARIS. *Tab.* II. *fig.* 2.

Lichen foliaceo-gelatinoſus, ſeſſilis, orbiculatus, multiplex aggregatus; atro-virens; margine toto erecto, ſinuoſo-criſpo, ſcutellis homogeneis concoloribus obverſe-conicis ſtipatiſſime coronato.

Lichen foliaceus gelatinoſus tuberculis turbinatis faſciculatis fronde majoribus. *Linn. ſyſt. nat. tom. 2. p. 711. num. 93. Weber. ſpicil. götting. p. 256. num. 282. Oeder. flor. dan. icon. 462. fig. 2.*

Lichenoides gelatinoſum palmatum, tuberculis conglomeratis. *Dillen. tab. 19. fig. 27.*

Lichen pulmonarius gelatinoſus, craſſus, minor, foliis latiuſculis, digitatis, e griſeo ſubobſcurus, per vetuſtatem fuſcus, & in uvam ſe colligens, receptaculis florum concoloribus, poſtea fuſco-rubris. *Michel. n. pl. gen. p. 87. ord. 16. num. 5.*

Lichen glomeratus. *Necker. del. gallobelg. p. 509. num. 20.*

Ampliſſimis ſaxa ſtratis? an glomeribus dicam? late obtegit; Bryis, aliisque paſſim immixtus Muſcis; exſuccus, corrugatus, ater cœlo ſudo, & calente ſolis radiis aëre; humida contra tempeſtate, atro-virens, & ſemidiaphanus. Digitatas, aut & palmatas, ut video, ei dare conſueverunt frondes, erectas, tenerrimis baſi fibrillis radicatas. Mihi talis occurrit nuſpiam. Multiplex, ſtipateque aggregatus, & muſcis, quibus ut plurimum innaſcitur, firmiuſcule conglutinatus, pulvinatos in iisdem efformat glomeres botrytico-tuberculoſos, facile, dum a muſcis extricatur, in lacinias ſubfrondoſo-criſpatas dilacerandus. Nudi ſemitabeſcentesque ſi tum forte eidem adhæreant (ut reapſe ſolent) muſcorum ſtipituli, quis non fibrillis inſtructum, radicatumve dicat? Alieniſſimæ interim a gelatinoſorum tremelliformium Lichenum natura ſunt radices; utpote qui e ſeminali ſuo polline, aut forſan verius exiliſſimis ſuis e globellis gelatinoſis humore evoluti, diſtentique, infera ſua ſuperficie leviuſcule plerumque ſaxis, arboribus, muſcisve hærere duntaxat, conglutinarique ſolent, radicum expertes. De eo, ut volet, ſit; qualem adhibito diligenti, & microſcopico

p'co examine invenerim? veritatis amans, dicam. Folium eſt gelatinoſum, obſcure virens, ſemidiaphanum, ſiccitate atrum, circumſcriptione orbiculatum, diſco medio ſaxis, aut, quibus ut plurimum irretitum eſt, muſcis, plus minus agglutinatum, peripheriam verſus libere aſſurgens, & elevatum, ambitu peripheriæ admodum ſinuoſe & gyroſe criſpum; ora marginis peripherialis ſtipatiſſime obſita ſcutellis & ipſis gelatinoſis, & concoloribus, oblongis, obverſe conicis, ſive turbinatis, apice incraſſeſcentibus, concavo - introlabentibus, ambitu tumidiuſculis. Easdem cum tempore rubore ſuffundi, non dubito; vidi tamen nondum. Cum itaque ampliatus folii margo erectus aſſurgat, ac plicis admodum copioſis, varios in ſinus gyroſe criſpetur ſubanaſtomoſantes; foliaque præterea ejusmodi plurima denſos in ceſpites aggregata connaſcantur, hinc fit, ut nil niſi glomus corpuſculorum gelatinoſorum botryticus, & pulvinatus videatur, nec de folio plerumque appareat quidquam.

CCLXXXIV.

LICHEN CRISTATUS. *Tab.* 12. *fig.* 1.

Lichen pulpoſo - gelatinoſus, atro - ſubvireſcens, centrifugus, criſpo - lobatus, obſitus tuberculis convexo - lentiformibus, tandem ſaturate rubentibus.

Lichen foliis imbricatis, dentato - ciliatis, ſcutellis folio majoribus. *Linn. ſpec. plant. p.* 1610. *num.* 24. *Necker. delic. gallobelg. pag.* 508. *num.* 18. *Leerſ. flor. herborn. p.* 256. *num.* 946.

Lichen multifidus. *Scopol. carn.* 2. *p.* 396. *num.* 1409.

Lichenoides gelatinoſum, foliis imbricatis, & criſtatis. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 26.

Lichen pulmonarius gelatinoſus terreſtris, atro - virens, foliis craſſis brevibus congeſtis, & rudibus, receptaculis florum fulvo - fuſcis. *Michel. n. pl. gen. p.* 87. *num.* 6. *ord.* 16. tum

Lichen pulmonarius gelatinoſus terreſtris membranaceus atro - virens, ſegmentis rotundioribus, receptaculis florum fuſco - rubeis. *Michel. n. pl. gen. p.* 88. *num.* 12.

Lichen gelatinoſus ramoſus lacinia tus, ſcutellis rubris. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom.* 3. *p.* 96. *num.* 2039.

Lichenoides gelatinoſum fuſcum, Jacobeæ maritimæ diviſura. *Dillen. tab.* 19. *fig.* 25.

Lichen pulmonarius gelatinoſus &c. *Michel. nov. plant. gen. pag.* 88. *num.* 13. *&* *num.* 14.

Clagenfurti ad aggeres murales e ſaxis & terra coagmentatis. Recte defœcati Hallerus judicii Jacobæum criſtato conjunxit; nulla enim inter utrumque vera, ſpecificaque exiſtit diverſitas; Jacobæus ex Criſtato futurus ſemper, ubi criſpi foliorum lobi longius tantiſper diſtenti, ramoſas quaquaverſum ſe diffuderint in frondes. Criſtatum cur potiſſimum dixerit Linnæus? non video; niſi ad carnoſas criſpasque gallinaceorum reſpexerit criſtas, quas humida præprimis tempeſtate, craſſe pulpoſi, criſpatique foliolorum ejusdem lobi haud male exprimunt. Multo antedictis hic pulpoſior, folio conſtat carnoſo lineam fere craſſo, gelatinoſo, per exſiccationem coriaceo, in orbem diffuſo, non equidem vere imbricato, rugis nihilominus, plicisque, vel per diſcum aſſurgentibus, criſtarum adinſtar, ſinuoſo - criſpis, undato; ambitum verſus, jam profundius (ramoſarum inſtar

ſtar frondium) alias brevius multiloba in ſegmenta ſecto; lobis, eorumque laciniis criſpo - undatis, ac in humente planta pulpoſis, obtuſis, rotundatis. Plurima omnem ejus per ſuperficiem ſuperam convexo - lentiformia videas tubercula, ſtipatiſſime quandoque aggregata, eaque ſat magna, carnoſa, folii ipſius primum colore, ſed obſcure demum ſanguinea, per deſiccationem tantiſper depreſſa, & fere concavo - etiam introlabentia. Viridem ejus ſi infantiam demas, colore, tempore pluvio, aut humente, eſt atro, obſcurum in virorem, luci duntaxat obverſus, ludens, ſemidiaphanusque. Halitu contra deſſiccatus obducitur cinereo - glauceſcente, qui dum aquis rurſum mergitur, in plumbeo - ſubcæruleſcentem primum abit, dum hauſta ad ſatietatem lympha, nigreſcat iterum. Sed caracter hic, ultimæ nonniſi, nec naturalis ætatis eſt.

CCLXXXV.

LICHEN FUGAX. *Tab.* 12. *fig.* 2.

Lichen foliaceo - gelatinaſcens, ſuborbiculatus, undoſo - plicatus, ſublobatus, hyalino - nigricans.

Tremella arborea nigricans, minus pinguis, & fugax. *Dillen. tab.* 10. *fig.* 15.

In truncis arborum ſylveſtrium, & domeſticarum, tum in trabibus ſudibusque ſepiariis, etiam in emortuis arborum truncis frequentem inveni ſero autumno poſt pluvias Labaci in Roſenbach; Clagenfurti in ſylvis tam Victorienſibus, quam Zigulnenſibus. Tremellis tamen adjunxit Dillenius! utut foliaceum magis, quam gelatinoſum, & crebris præterea punctis

tuberculoſis (quæ nec ego obſervavi, aut curæ non fuit tunc obſervare) interſtinctum! Membrana eſt tenera, humore gelatinaſcens, colore tum aquæ nigricante, diaphana, per exſiccationem atra; ſuborbiculata, vario modo undoſo-plicata, umbiformis, ambitu vage & inordinate ſublobata, lobis obtuſis, rotundatis, integris, ſinuoſo-criſpis; deſiccatione tandem concidens in membranam plicatam tenuem fragilem atram.

CCLXXXVI.

LICHEN CORIIFORMIS.

Lichen coriaceo-gelatinaſcens, libere repens, undoſus, ſinuato-lobatus, atro-ſubvireſcens, lobis ſuberectis, repando-criſpis.

Lichen gelatinoſus niger, undoſus & criſpus. *Haller. hiſt. ſtirp. helvet. tom. 3. p. 96. num. 2038.*

Ad ſaxa muſcoſa, inter Montem Calvariæ, & Ziguln, Hypnis, Jungermanniis, & Licheni horizontali L. immixtus innaſcens. Quærit Hallerus, an ne idem, cum antedicta Dillenii Tremella arborea nigricante minus pingui & fugace? ſed neque cum hac, nec cum citato Michelii ſynonymo idem eſſe poteſt, a quibus non natali ſolum loco terreſtri, ſed potiſſimum natura admodum coriacea, & craſſa differt. Folium noſtro non membranaceum, & tenue, imo plusquam in ullo gelatinoſorum (ſemialteram lineam) craſſum, præprimis a rore, aut pluviis humenti; corii omnino ſimillimum, ex atro-ſubvireſcens, amplum, muſcos inter in terra repens, undoſum, ſinuato-lobatum, lobis ex decubitu aſſurgentibus, ſinuoſis, repando-criſpis; exſiccatione haud diffluens, nec in membranam, ut di-

dixi, ſed rigidum & atrum in corium corrugatum concidens. Tubercula aut ſcutellas nondum in eo vidi.

CCLXXXVII.

LICHEN FUCOIDES. *Tab.* 12. *fig.* 3.

Lichen fruticuloſus ater, foliolis ramuloſis, tereti - compreſſis, ex decubitu aſſurgentibus, centrifugis, margine utrinque tuberculoſo - denticulatis; ſcutellis ſubterminalibus, ſeſſilibus pedunculatisque concoloribus.

In ſaxis alpium excelſarum granitoſarum ſuperioris Carinthiæ. Semper pro Varietate mera Lichenis mei Rigidi habui, ac fortaſſis nil etiam aliud eſt? quoniam nihilominus per eam Varietatum multiplicationem, in generibus cumprimis aut minus cognitis, aut minus ſaltem elaboratis, elegantiſſimæ non raro ſpecies deperduntur, nil meo definiam judicio; Cryptogamologis, me in arte magis verſatis, ut arbitri eſſe velint, liberrimam deferens poteſtatem; id ſolum monitionis adjiciens loco, figuram ſi præciſe 38. A. & B. Tabulæ Dillenianæ XVII. ſpectent, dubitaturum neminem, Coralloides illud faſciculare verrucoſum, & veluti ſiliquoſum, idem plane meo cum Fucoide Lichene eſſe. At nulli in meo longitudinales ſulci; nec ſiliquarum æmulæ, transverſæ protuberantiæ! Color præterea nec cinereo - vireſcens infanti, nec vetulo ochroleucus! Ut de cretacea cæterum nil meminerim baſi. Folia Fucoidi, perinde ac Licheni Rigido, ſunt teretia quidem, at ſimul & compreſſa; ſolida, farcta, nec fiſtuloſa; ſemi - aut vere pollicaria; interdum ſimpliciſſima, atque tum ſubulata; maximam tamen

men partem, apicem verſus iterato ramuloſa, fruticulorum inſtar, ceſpitoſe ſemper aggregata; ab uno velut centro, quaquaverſum diffugientia; ſubimbricata; ac ex decubitu duntaxat aſſurgentia. Ea, niſi imbribus emollita lenteſcant, dura ſemper, rigidaque ſunt, flecti impatientia; corneæ dicas ſubſtantiæ, quæ, quàm cedant, antea frangantur. In aciem velut compreſſus eorumdem utrinque margo lateralis, per omnem & ſtipitulorum, & ramulorum longitudinem, tuberculis obſitus eſt ſuperne ſubſphæroidicis, parvis, ſeſſilibus, ejusdem cum foliis ſubſtantiæ, & coloris, ut ea non male dixeris margine tuberculoſo - denticulata, crenulatave. Scutellæ nonniſi in ramulis terminales, aut paulo ſub eorumdem apicibus ſeſſiles, ſive & breviſſime pedunculatæ; ſuntque hemiſphæridico - concavæ, atræ, nitentes, tuberculis marginalibus duplo minimum majores, non ex iisdem generatæ, utpote quæ ipſæ demum ultima in ætate magnitudine auctæ, & exaltata diſci concavitate, in fungoſa, convexo - lentiformia abeant tubercula. Color cæterum totius ſtirpis ater, lævis, nitens.

CCLXXXVIII.

SAXIFRAGA TENELLA. *Tab.* 17.

Saxifraga ſtolonibus proſtratis, imbricato - folioſis, e latere cauliferis; caulibus erectis, ſubnudis, paucifloris; foliis lineari - ſubulatis, ciliatis, ſpinula terminatis.

Primus præruptis in cautibus montium noſtrorum rariſſimam hanc Saxifragæ ſpeciem invenit Illuſtriſſimus Zoyſius, mecumque benevole communicavit. Radicem ea habet ſat gracilem, ut vix perennem, qualis nihilo-

hiloſecius eſt, crederes. Eſt vero, ſi quæ alia, quam maxime multicaulis; id eſt, ſtolones ex ſe quaquaverſum diffundens plurimos, & ipſos quoque perennantes, oblongos, proſtratos, foliis undique conferte ſubimbricatis obſitos, baſin verſus magis quotannis, magisque una cum veteribus foliis ſemi-areſcentes, & dilute ruſeſcentes. Folia eorumdem annua, non equidem ſubulata, imo plana; attamen anguſta, longiuſcula, lineari-ſubulata tuto dixeris; ſuntque ſaturate viridia, carinula ſubtus longitudinaliter percurſa; cæterum ſeſſilia, ſurſum verſus ſubimbricata, nuda, integra, marginales per oras villulis, demum cadivis, ciliata, apice in ſpinulam acicularem, corneam, aquoſe ſubruſeſcentem, rigidamque abeuntia, quæ, in recente cumprimis planta, dum folia nativa ſua adhucdum pollent firmitate, pungat. Horum ex ſtolonum non tam apicibus, quam lateribus, caules recta aſſurgunt annui, quam maxime tenelli, & graciles, roſula foliolorum patentium in orbem baſi vallati, ex viridi rubentes, viſcoſo primum villoſuli, tum calveſcentes, foliolis aliquot, ſquamularum inſtar, laxiſſime ſparſis, parvis, lineari-lanceolatis, planis, ſeſſilibus, vix, niſi prima in ætate, villoſo-ciliatis, obſiti. Supremus caulis racemo florum paupere, plerumque nonniſi trifloro, terminatur; conſtante pedunculis tenerrimis, longiuſculis, viſcoſo-villoſulis, ſubaphyllis, laxe erecto-patentibus, unifloris. Calyx ſuperus, quinquepartitus, utpote inferiore ſua parte ovata, germini connatus, viſcoſo-villoſulus, lacinulis lanceolatis. Corolla pentapetala, calycis ſegmentis major; petalis anguſtis, oblongo-obovatis, integris, enerviis, patentibus, albis, immaculatis. Stamina decem, alternis tantillo brevioribus; filamentis ſubulatis, albis; antheris flavis. Germen ovatum, immerſum, connatumque inferiori calycis parti; umbilico apicis primum acuminato; ſed in duos dein ſtylos divergens; ſtigmatibus obtuſis. Capſula ex ovata baſi divaricato-biroſtris,

transverſim apice inter utrumque roſtrum dehiſcens, unilocularis, polyſperma. Odor nullus. *Obſerv.* Planta, Linnæi ſi præciſe ſpectes caracterem ſpecificum, Saxifragæ bronchiali proxima, nec ab ea, niſi compræſentia, diſtinguenda; hac de cauſa, notas diverſitatis recenſuiſſe juverit. Humidis plantà ſibirica, depreſſisque vegetat locis, multo, quam Tenella, major, firmior, lignoſiorque; foliis ſurculorum, ſive ſtolonum magis carnoſis, per oras ciliis exiguis ſubſpinoſis albidis, obſitis, terminatis apice ſpina ſubulata, firma, nivea, pungente. Caules in ſurculis terminales, ex apice, non lateribus; ipſi apicem verſus paniculati, nec racemoſi. Flores, quam in Tenella, majores; petalis ovalibus, guttis ſupra bicoloribus ſeminatis, nec immaculatis; ſubtus lineis, ſive nervis longitudinalibus tribus.

CCLXXXIX.

FUCUS BOTRYOIDES. *Tab.* 13. *fig.* 1.

Fucus caule vage ſubramoſo; veſiculis ſparſis, teſſilibus, ſubovatis, inflatis, inanibus.

An Fucus Ovarius ſive Uvarius? caule filiformi, foliis confertis ovatis fornicatis. *Linn. ſyſt. nat. tom.* 2. *edit.* 13. *vindob. pag.* 714.

Iteratis vicibus perelegantem hanc Fuci ſpeciem in Fucorum concatenati, ſelaginoidis &c. caudice, in ſpongia quoque, ceſpitoſe naſcentem inveni. Elegans, ſi quis alius; Botro ſimillimus rubro. Ceſpes cauliculorum, plus minus pollicarium, ſtipate aggregatorum, denſiſſimus. Cauliculi coriacei, lenti, atro-rubentes, nudi, aphylli, teretiuſculi, ere-

erecti, partim ſimplices, partim vage, alterneve ramuloſi, ramulis brevibus, ſimplicibus, cauli ſimilibus. Foliola nulla; horum loco, ſparſæ per caulem, ramulosque veſiculæ membranaceæ obovatæ, aut certe ſubovatæ, ſeſſiles, inflatæ, tumentes, inanes, aut, ſi vis, vacuæ (aëre repletæ?) extus læves, nitentes, ſaturate purpureo-rubræ; extra aquam cum tempore per exſiccationem in ſcuta fornicata introlabentes, nec per reimmerſionem priſtinæ amplius reſtituendæ figuræ veſicularum inflato-tumentium & inanium. Ita ſiquidem infera veſicularum membranula verſus ſuperiorem introlabitur, ejusdemque concavitati apprimitur, ut licet aquæ rurſum immergas, haud amplius ſeſe reſtituat, aut ab eadem avellatur; nec veſicula amplius intumeſcendo infletur, inanis interne. Deſiccatum idcirco ſi quis fucum hunc intueatur, nullas in eo conſpiciet veſiculas; ſubtilia duntaxat in eo ſe videre credat foliola, aquoſe flaveſcentia, diaphana, ſeſſilia, ſubovata, clypei-ſeu ſcuti-formia, ſuperne convexa, inferne fornicato-concava, margine integerrima.

CCXC.

FUCUS CARTILAGINEUS.

Fucus caule frondiformi, cartilagineo, ex tereti compreſſo, alterne ramoſo; ramis lanceolato-frondoſis, alterne tripinnatis; laciniis linearibus; extimis apice ſubcraſſeſcentibus.

Fucus cartilagineus, caule teretiuſculo, compreſſo; frondibus ſupradecompoſitis, pinnatis, laciniis linearibus coloratis. *Linn. ſpec. plant. p.* 1630. *num.* 24. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *pag.* 108. *num.* 864. *tab.* 3. *fig.* 5. *Gerard. flor. galloprov. pag.* 26. *num.* 6. *Allion. flor. ped. tom.* 2. *pag.* 332. *num.* 2630.

Fucus verſicolor. *Gmelin. hiſt. fuc. p.* 158. *tab.* 17. *fig.* 2.

Muſcus marinus. *Cluſ. hiſt. plant. p. CCL.*?

Coralloides lenta fœniculacea. *Joh. Bauh. III. part. p.* 797.

Ad rupes maris Mediterranei. Non nomen duntaxat Linnæi, ſed & ſynonymum quoque, inutiliter mutavit Gmelinus, Abrotaniſolium, Cartilaginei loco, citans; quod, ut verum fatear, minus placet. Cluſii, atque Johannis Bauhini ſtirpes nonniſi ſub dubio recipio; Scopolii rejicio etiam. Et hic quoque de more gentis, radicis loco, coriaceo-cartilaginea rupibus conglutinatur placenta ſuborbiculata; quæ in caulem abit ſupradecompoſito-ramoſum, frondiformem, haud admodum craſſum, nec & ligneſcentem; imo una cum ramis, ramulisque, & horum pinnulis, coriaceo-duntaxat cartilagineum, ex tereti compreſſum, lentumque, & vel dum ſiccus eſt, flexilem adhuc. Rami ejusdem primarii laxo alternoque inter ſe ſitu, pinnarum inſtar, eidem hærent connati, eodem omnes in plano verticali, patentes; & ipſi quoque (ſi infimos ſupradecompoſito-pariter ramoſos excipias) lanceolato-frondoſi, alternatim tripinnati; laciniis pinnarum pinnularumque fœniculaceo-linearibus, ex tereti compreſſis, extimis breviſſimis, apicem verſus ſubcraſſeſcentibus, ſi hæc ejusdem ſit fructificatio? me latet; dubito tamen. Veſiculas ſane pulpoſa farctas gelatina, feminiferasque, nondum vidi, ſed neque umbilicali pertuſa poro tubercula. Cæterum quantus quantus eſt, tam humens, quam de-

deſiccatus, transparens totus; ſemperque non uno duntaxat, ſed diverſis plane, ſpecioſiſſimisque (atro - rubente, dilute viridi, aquoſe flavente, purpuraſcente, albido, hyacinthino &c.) varius coloribus.

CCXCI.

FUCUS VOLUBILIS. *Tab.* 13. *fig.* 2.

Fucus frondibus ceſpitoſis, ſimplicibus, ramoſisque, coriaceis, linearibus, margine rotundato - dentatis, in cochleam Archimedæam longitudinaliter convolutis.

Fucus fronde ſpirali, margine dilatato repando - dentato. *Linn. ſpec. plant. p.* 1627. *num.* 5. *Gmelin. hiſt. fuc. pag.* 180. *Allion. flor. pedem. tom.* 2. *pag.* 333. *num.* 2631.

Alga ſpiralis maritima. *Boccon. plant. rarior. ſiciliæ &c. pag.* 70. *tab.* 38. *fig.* 2.

Fucus ſpiralis ſerratus. *Barrelier. p.* 118. *num.* 1309. *tab.* 1303.

Epatica ſpiralis minor. *Gionan. tom.* 1. *p.* 26. *tab.* 27.

Conchis, ſpongiis, lapidibusque maris Mediterranei accreſcit, a piſcatoribus una cum retibus extractus, rurſumque rejectus. Unica a baſi coriacea, placentæformi, corporibus ſubmarinis adglutinata, ceſpes frondium plurimarum integer enaſcitur. Earum aliæ ſimplices; parce, & nonniſi vage ramoſæ aliæ. Tamen quotquot ſunt, dum planta viget, in Archimedæam longitudinaliter intortæ cochleam, alternis identidem mariuni undis fluctuant. Eas ſi jam, natura renitente, dum tamen madent, evolvamus, coriaceas, craſſas, læves, atro - rubentes, & lineares inveniemus,

mus, nullo (ut in Fuco veſiculoſo) mediam longitudinem percurrente caule, apice rotundato, obtuſo; marginibus contra lateralibus ſinuoſe exciſis, ut rotundato - dentatos dicere poſſis; lobulis dentium rotundatis, introrſum concavis. Fructificationes ſive veſiculoſas, ſives tuberculoſas, nondum vidi. Ex figuris, quas vidi, Autorum, Bocconii (quam rudis cæterum) placet maxime; ut quæ naturam ſtirpis exprimit optime; nihilo Barrelierii futura inferior, niſi ſpirarum margines tam acute ſerratos incidi feciſſet. At ea Ginnanii, & quam Gmelinus habuiſſe videtur, ipſeque olim Joh. Bauhinus III. pag. 795. (ego enim inter Ginnanii Epaticam ſpiralem majorem & minorem, Gmelini Laceratum & Volubilem, Johannisque Bauhini Algam criſpam ſcabioſam, diſtinctionem facio nullam) Ea, inquam, nonniſi dudum a matrice avulſa, longiuſcule jactata mari, fluctibus quaſſata alternis, omnique pene ſpoliata elaſticitate, & marginibus vitiata, frons eſſe videtur, ex qua nemo, aut certe difficillime Volubilem Linnæi Fucum agnoſcat. Sane niſi a Linnæo jam ipſo citatam vidiſſem, vix aut ne vix quidem citaturus eamdem fuiſſem; ſed neque Gmelini Fucum Volubilem; nam cum clare præſtantiſſimus cætera Vir dicat: Volubilem ſuum a ſuo Fuco lacerato tab. 21. fig. 4. vixdum differre, partibusque convenire omnibus &c. quomodo perſuadere mihi, aut alteri cuiquam potuiſſem, Laceratum illum, vel a longe, Algæ ſpirali minori Bocconii ſimilem eſſe, dempta magnitudine?

CCXCII.

CCXCII.

FUCUS CONFERVOIDES. *Tab.* 14. *fig.* 1.

Fucus caule cartilagineo, terete, filiformi, vagas per dichotomias ramosissimo, ramis diffusis inæqualibus setaceis; verrucis sphæroidicis & ipsis cartilagineis, subsessilibus rariter sparsis.

Fucus subdichotomus teres filiformis ramosissimus, ramis inæqualibus setaceis. *Linn. spec. plant. pag* 1629. *num.* 22. *Gunner. norv. tom.* 2. *p.* 92. *num.* 754.

Ceramianthemum ramosissimum, humile transpaiens rubrum. *Donati. hist. marit. adriat. p.* 27. *tab.* 2. *fig.* 1. non recte confusum cum Lichene Rocella Lin.

Fucus verrucosus. *Gmelin. hist. fucor. p.* 136. *tab.* 14. *fig.* 1.

Variis Adriatici maris corporibus submarinis accretus deprehenditur. Caulis brevis, crassitudine spintris, vere confervoides, teres, lævis, ut tota planta, cartilagineus, flexilis, jam saturate, jam dilute magis ruber, & diaphanus, haud procul a basi, in brachia, sibi similia, vagas per dichotomias ramosissima, quaquaversum diffunditur. Ramuli brachiorum horum, & ipsi subdichotomi, quo a communi cauliculo recedunt magis, eo quoque teneriores, setacei evadunt denique, tamen adhucdum semper cartilaginei. Vesiculas in eo vidi nullas, sed neque tubercula, umbilicali notata poro; horum tamen loco, rariter hinc inde sparsas verrucas subglobosas farctas cartilagineas, nunc omnino sessiles, nunc & breviſſime quoque pedicellatas, reliquæ stirpi concolores, id est, saturate rubras. Mihi tam crassus, ac eumdem Gmelinus, multoque minus, ut Donati, incidi

fe-

fecerunt, numquam occurrit; teneriores utique confervæ eſſe ſolent; a quarum nonniſi ſimilitudine, confervoidem Linnæus dixit. Fallitur Allionius, confervoidem Linnæi ſi cum confervoide Gmelini, eumdem judicat, quæ mihi clariſſimum Virum non citandi ratio fuit, neſcienti, de cujus demum ſtirpe loquatur.

CCXCIII.

FUCUS FASTIGIATUS. *Tab. 14. fig. 2.*

Fucus caule cartilagineo, filiformi, tereti - compreſſiuſculo, meras per dichotomias ramoſiſſimo, faſtigiatio.

Fucus dichotomus ramoſiſſimus teres uniformis faſtigiatus. *Linn. ſpec. plant. p. 1631. num. 29. Gunner. flor. norveg. tom. 1. pag. 48. num. 102. Allion. flor. ped. tom. 2. pag. 330. num. 2614. Gmelin. hiſt. fuc. pag. 106. Oeder. flor. dan. tab. 393.*

Fucus parvus, plurimis ex eadem radice cauliculis, ſegmentis teretibus, in ſummo apice bifidis vel trifidis. *Plukenet. alm. pag. 160.*

Flumine in mari Adriatico ſupra c ancrorum teſtas, conchas, aliorumque fucorum ſtipites. Exilem, & reſpecto Oederiani (loc. cit.) gigantis, pygmæum exhibeo, quia majorem huc usque nondum habui. Forſan nec Plukeneti, & apud Gunnerum, Gmelinumque Raji, major non fuerit. Utut ſit; ſpecies ut plurimum, non tam a magnitudine, quam a notis deſumuntur caracteriſticis. Et meus major fieri poterat denique, ultimique dichotomiarum apices in veſiculas craſſeſcere, longiore ſi tempore, & magis fixæ matrici aut corpori increviſſet. Non ſolitarium modo, ſed

&

& ceſpitoſe creſcentem vidi; caulis tamen quisque, propria ſemper ſuper placentula radicali, coriacea, & orbiculari attollebatur ad unum, etiam ſeſquialterum pollicem, faſtigiatus. Is cartilagineo - coriaceæ naturæ, groſſioriſque (in meo) fili linei craſſitudine, teres primum, tum ex tereti compreſſiuſculus, ad dimidium fere erectus pollicem, alias nonniſi unam ad lineam, aſſurgit ſimpliciſſimus, ſtatimque dichotomus, per ſexies, octiesque & amplius iteratas deinceps dichotomias, flabelli adinſtar in morem diſtentus dividitur, ſubdividiturque, ramoſiſſimus; vere faſtigiatus, ſeu dichotomiis extimis ad eamdem omnibus altitudinem exaltatis. Lacinulæ dichotomiarum compreſſæ, filiformi - lineares; extimæ interdum trifidæ. Color primum dilute, tum olivaceo - virens, ex viridi dein pallidius aut ſaturatius rubens, atro - denique purpureus, & niger. Hactenus, ut dixi, (& an mirum ea in juventute?) nec veſiculas, nec tubercula in eo vidi.

CCXCIV.

FUCUS MARGINALIS.

Fucus caule coriaceo - ſubcartilagineſcente, filiformi, tereti - compreſſiuſculo, vagis dichotomiis ramoſiſſimo, margine ſupra laterali utroque tuberculis umbilicatis obſito; dichotomiis extimis elongato - ſetaceis.

Teſtæ dorſali cancrorum brachyurorum majorum innatum inveni Tergeſti, nec a Gmelino, minus Linnæo recenſitum. Eſt vero duplo in natura tenerior, ſed ad diſtinctius exprimendum caracterem ſpecificum, aucta, cum proportione, magnitudine, propoſitus. Cauliculus brevis, in-

firmus, fili craſſitudine, placentula nixus tenere coriacea, illico vagis ſub dichotomiis, in brachia, ſe tantiſper craſſiora, & ipſa ex tereti compreſſiuſcula, coriaceo - ſubcartilagineſcentia, ramoſiſſima, quaquaverſum diffuſus, tanto impar ponderi, niſi aquis elevetur fluctuans, proſtratus decumbit. Brahia ſive rami, quo a ſtipite communi elongantur magis, eo & ordinate magis ulteriores per dichotomias ſubdividuntur; laciniis dichotomiarum tenerioribus ſemper, dum extimæ, & ipſæ longiuſculæ, capillarem velut in ſetam abeant. Compreſſas, ut plurimum, dichotomiarum obſervavi axillas. At margo lateralis ſuperior ſtirpis totius, tuberculis hemiſphæricis umbilicatis obſitus eſt contiguis per omnem caulis, ramorum, ramulorumque utrinque longitudinem. Color, dum aquæ mergitur, dilute virens; tuberculorum ſaturatior; nigreſcit per exſiccationem. Minime confundendus cum ſupra deſcripto F. confervoide, qui corneo - cartilagineus, teres, verrucis rariter, & vage ſparſis; dum hic contra, membranaceo - coriaceus, ſubcartilaginaſcens, ex tereti compreſſus, tuberculis conferte, & ordinate per margines laterum digeſtis.

CCXCV.

FUCUS MUSCIFORMIS. *Tab.* 14. *fig.* 3.

Fucus caule membranaceo - coriaceo, filiformi, ramoſiſſimo; ramulis ſetaceis; marginibus lateralibus caulis ramorumque capillari - ciliatis.

Muſci adinſtar, denſiſſime obſederat teſtas cancrorum in foro venalium Tergeſti; erat vero ſpecies cancri ſimillima ejus (non tamen eadem) quam Plancus Venetiis *Fachino* vulgo vocari dicit, & Linnæo, ut video,

Can-

Cancer lanatus eſt. Nemo non credat, Muſcoidem ſe Linnæi Fucum præ oculis habere; longo certe Linnæus tempore inter Muſcoidem ſuum, & Aculeatum diſtinxerat; etſi limites diſtinctionis adeo ſe contingerent proxime, ut artis eſſet ſcire, hunc? an illum? quis haberet. Preſſit hæc difficultas non parum nuperrimos; præprimis poſtea, quam Virgatus Gunneri Fucus innotuit. Tres jam habueramus: Aculeatum Oederi tab. 355. Gunneri Virgatum nidros. 4. tab. 7. & Muſcoidem Gmelini tab. 12. quos inter, qui diſtinguat? næ ille emunctæ naris ſit. Longius, quam æquum erat, ſerpenti malo, occurrit denique in Mantiſſæ Linnæus Volumine altero, omnes hoſce nonniſi unam pronuncians, eamdemque eſſe ſpeciem, quam expuncto deinceps Muſcoidis ſpecifico nomine, Aculeatum debere dici voluit Fucum. Venale ab eo inde tempore nomen, integrum mihi erat novæ, cui voluiſſem, tribuere ſpeciei, ſi cumprimis, quod ejusdem & habitum, & creſcendi exprimeret modum, oppoſitum judicarem; umbram tamen ipſam vel minimæ ut evitarem confuſionis, malui, quem jam hic propono, muſciformem potius, quam muſcoidem dicere Fucum. Denſis cum, ut muſci ſolent, ceſpitibus creſcentem inveni ſupra cancrorum illorum teſtas, caule vixdum ſpithamali, flaccido, utpote naturæ membranaceo - coriaceæ, proſtrato, lineari - filiformi, planiuſculo, vage ramoſiſſimo, & quaquaverſum diffuſo, coloris triſte virentis, ac e virore demum rubentis, dum rubor denique ille ætate, perque deſiccationem fuſcus, ac niger etiam fiat. Rami & ipſi quoque inordinate ramuloſi iterum, attamen ramulis ut plurimum ſimplicibus, elongatis, ſetaceis. Fructificationibus tam veſticularibus, quam tuberculoſis deſtituitur; harum interea forſan loco? margo lateralis caulis, ramorum, ramulorumque omnis, laciniis obſitus eſt homogeneis adeo teneris, ut capillaria potius cilia dicas, quam aculeos, ſive ſpinas, quamquam nonniſi molles.

CCXCVI.

FUCUS SPINOSUS. *Tab.* 15. *fig.* 1.

Fucus caule cartilagineo tereti aphyllo ramoſiſſimo; denticulis homogeneis obtuſis, ſubtrifidisve, verticillato - ternis.

Fucus ramoſus teres aphyllus, denticulis verticillato - ternis. *Linn. mant. II. p.* 313.

Fucus denticulatus caule compreſſo ramoſo, ramis dentato - geniculatis ramuloſis ſubdichotomis. *Burmann. prodrom. flor. capenſ. pag.* 28. In Appen. flor. Indicæ.

Rarius e mari Adriatico educitur Fucus Acinaria, concatenatus, aut ſelaginoides L. ut non ſtipiti eorumdem, ſive primordia, aut triſtia certe Fuci hujus ſpinoſi reſidua adhæreant aliqua. Sed neque, quibus ſe interdum implantet, conchas reſpuit. Scopolii certe Fucus muſcoides (flor. carn. 2. tom. 2. pag. 403. Nro. 1428.) alius non eſt, quam hujus ipſius ſpecimen aliquod, nec elegantiſſimum; plerumque enim, quæ aut profundioribus, aut firmis magis innaſcuntur ejusdem ſpecimina corporibus, ſpecioſiora cæteris, majoraque eſſe ſolent. Poſſideo, quod ad ſpithamæ, & ultra, aſſurgit altitudinem, ſupradecompoſito-ramoſum; ſed hæc, apud nos ſaltem, rariora. Caulis fuco huic eſt teres, nec compreſſus, erectus, ramos undique, ſui ſimiles, absque ordine aut & ſuboppoſitos, attollens, erecto - patentes, & ipſos iterum, iterumque ramuloſos. Folia nec in caule, nec in ramis, videas ulla; ſed neque articulos, aut genicula; continui imo ſunt, chordæ muſicæ adinſtar, & recti, æquabilesque. In iis per omnem eorum longitudinem, brevia, crebraque per intervalla denti-

cu-

culi aut terni & terni, aut certe bini ſuboppoſiti, velut totidem in verticillos ordinati ſunt, reliquæ ſtirpis ſubſtantiæ homogenei & concolores, unam circiter lineam longi, teretes, truncati, aut & apice craſſeſcentes, non raro etiam ſub apice utrinque novo aucti conſimili denticulo, ut jam trifidi, aut tridentati verius, dici poſſint. Spurios hos denticulorum verticillos, genicula Burmannus videtur exiſtimaſſe. Subſtantia ejus omnis, caulis ſcilicet, ramorum, denticulorumque cartilaginea eſt; lenta & flexilis intra aquam; at deſiccata, ex cartilagineo, velut cornea, dura, rigida & fragilis; utroque ſemper, & madoris, & ſiccitatis in ſtatu, diaphana. Colorem fuci quod attinet, is plerumque, & fere ſemper albus eſt; vidi tamen interdum, ac poſſideo etiam, dilutius aut ſaturatius rubentem; virens contra nonniſi unica occurrit vice.

CCXCVII.

FUCUS FILICINUS. *Tab.* 15. *fig.* 2.

Fucus caule coriaceo, teretiuſculo, ramoſiſſimo; ramis in orbem diffuſis, apicem verſus ramoſo - frondoſis; frondibus coriaceo foliaceis, pinnato - ramentaceis.

Tergeſti in mari adriatico, corporibus ſubmarinis accreſcens. Dubius eram diu, anne, quem ſpinoſi nomine, ex Marſiglio, propoſuerat Gmelinus (hiſt. fuc. pag. 161. tab. 18. fig. 3.) a meo hocce differret reapſe? Tenebras cum nec hodieque meas, Marſiglio deſtitutus, diſcutere valeam ſatis, aliis hac ſuper re judicium ferendi, poteſtatem tranquillus facio. Plura, ut verum fatear, ſi de eodem tamen loqueremur Fuco, in

Gmelino diſplicent. Ramentacei laterum denticuli, in coriacea demum folia, maturitate explanantur in meo; qui in ejusdem ſpinoſo ſubulati dicuntur ſimplices & diviſi, raro dichotomi, apice, maturo fuco, craſſeſcentes; obſolete præterea flaveſcentem dicit; quo colore meum vidi numquam; ſed non jam vacat, uberius commentari. Et hic, ut reliqui, orbiculo coriaceo plano corporibus ſe adtigit ſubmarinis, pertinaciter iisdem hærens conglutinatus. Caulem hac e baſi attollit breviſſimum, & ipſum quoque coriaceum, teretiuſculum, atro-purpuraſcentem, fili emporetici craſſitudine; qui mox plurimos in ramos, ſibi ad amuſſim ſimiles, uno velut e centro enatos, ſe in orbem quaquaverſum diffundit. Rami hi inferne ſimplices, teretiuſculi, atro-rubentes, denticulisque tereti-coriaceis, & rariter ſparſis obſiti, ad mediam circiter longitudinis ſuæ altitudinem alios rurſum in ramos, & quidem frondiformes, circumſcriptione lanceolatos, iis filicum quarumdam aliqua ratione ſimiles ſubdividuntur; quorum ſcilicet truncus ſive axis, ex tereti magis comprimatur magisque in coriaceum velut folium lineari-lanceolatum, & ſubdiaphanum, lateribus pinnato-ramentaceis, ramentis foliaceis, planis, lanceolatis; & quos itaque non incongrue frondes dicas coriaceo-foliaceas, lineari-lanceolatas, pinnulis utrinque appendiculatas membranaceo-ramentaceis lanceolatis. An frondes, frondiumque ramenta craſſeſcant denique in veſicas mucifluo-viſcoſas, ſeminiferasque? mihi perſpectum non eſt. Sed neque tubercula vidi ulla, umbilicali introlapſa ſcrobe. Ludit & hic quoque Fucus elegantiſſima in eodem ſpecimine colorum mixtura. Partes ejus aliquas dilute virentes videas & transparentes; dum earum aliæ nitidiſſima ſe commendant purpura hyacinthina, & ipſæ illuſtres; hæ ex rubro magis nigreſcunt magisque, atro-rubentes denique; illæ jam, quantæ quantæ ſunt, atræ, nonniſi luci obverſæ, hyacinthino coloratæ rubore inveniuntur. Ætatis

di-

dicerem effectum, nisi & mutuo in se emori colores hosce viderem. Id coronidis adjungam loco, & prolificas dari hac in specie frondes, dum videlicet, ut figura exhibet, ramentum frondis quodpiam, novam in frondem pinnato - ramentaceam, velut priori inoculatam, eluxuriatur.

CCXCVIII.

FUCUS FRUTICULOSUS. *Tab. 16. fig. 1.*

Fucus caule coriaceo, terete, filiformi, supradecomposito - ramosissimo; ramis subsetaceis, alternatim laxe ramulosis; ramulis exiguis, subpinnato - denticulatis.

Varia supra corpora submarina Adratici ad Tergestum maris. Inoculatum quoque parasitice Fuco concatenato inveni. Ramulis tantum non capillaribus per quam dense irretitum fruticem fucus iste exacte refert; hinc specifica fruticulosi denominatio; neque enim ab aliis recensitum comperi; aut si recensitus, non certe ita adumbratus clare, ut absque erroris metu, certi quidpiam statuere de ejusdem potuissem synonymia. Nihil dissimulabo; Palmam Ginnanii marinam (operis posth. part. 1. pag. 21. tab. 28. fig. 38.) utut ruditer expressam, a meo tamen haud differre Fuco credideram; sed Fucum flavicantem Raji teretifolium, ramulis pennatim enascentibus, se ibidem exhibere Illustrissimus Autor ipse attestatur! quem Rajo destitutus, aliunde haud novi, quam ex Gmelino, (cui in hist. fuc. pag. 144. tab. 14. fig. 3. Fucus Corneus audit) a meo longe quam diversissimum. Nullæ in meo fructificationes globulosæ; nec substantia cartilaginea, cornu æmulans; nec color denique flavescens &c. Admodum iterum est no-

noſter brevi gracilique cauliculo coriaceo, in orbiculare baſi ſe diſtendente planum; ſtatimque in brachia complura, ſupradecompoſito - ramoſiſſima, abeunte. Color plantæ omni atro - purpuraſcens, per deſiccationem niger, nec transparens; ſubſtantia non cartilaginea, ſed coriacea. Rami quaquaverſum diffuſi, vix unquam ſpintris craſſitudine, plerumque etiam graciliores, donec ſubſetacei etiam, in ramificationibus ultimis fiant, coriaceæ tamen ſemper naturæ. Multæ illis laxo alternatim ſitu, breviſſimarum inſtar appendicularum, hærent pinnulæ, ſive verius ramuli, pene capillares, partim alterne ſubpinnato - partim etiam ſubdigitato - denticulati; denticulis exiguis ſubcapillaceis.

CCXCIX.

FUCUS CERANOIDES.

Fucus fronde plana, coriaceo - membranacea, iterato dichotoma, nullo frondem percurrente caule; apicibus dichotomiarum integerrimis, oblongo - obovatis.

Fucus fronde dichotoma plana integra, apicibus bifidis veſiculoſis. *Linn. ſpec. plant. pag.* 1626. *num.* 3. *Gerard. galloprov. pag.* 25. *num.* 2. *Gorter. flor. belg. pag.* 339. *num.* 940. *Gunner. flor. norv. II. pag.* 64. *num.* 606. *Allion. flor. pedem. II. p.* 330. *num.* 2616. *Scopol. flor. carn.* 2. *tom.* 2. *pag.* 403. *num.* 1427. *Gmelin. hiſt. fuc pag.* 115. *tab.* 7. *fig.* 1. 2. 3.

In Mari adriatico ad Tergeſtum &c. Ceſpitoſe perinde, ac F. veſiculoſus, amat creſcere, ab eo diverſiſſimus, multoque tenerior; folio mi-

minus craſſe coriaceo, imo tenui, membranaceo; nullo illud craſſiore percurritur, ut in Veſiculoſo, caule; avenium omnino, mox a baſi, iteratas per dichotomias, plus minusve ordinatas, in frondem utrinque diſtenditur linearem, planam, multipliciter ramoſam, neſcio, quibus cornubus? ſimilem. Brachia dichotomiarum inferiorum, ſive frondis totius rami, perinde ac princeps frondis ſtipes, lineares, & plani; extimarum contra lobi, ſive auriculæ, obtuſæ, rotundatæ, integerrimæ, oblongo-obovatæ. Eas maturitatis tempore tumidas in veſicas, mucifluo farctas viſco, craſſeſcere, haud dubito; vidi tamen nondum, ſed neque Gmelinus in tribus, quas propoſuit, varietatibus, exhibuit. Coloris ſtirpes meæ erant ſaturatius aut minus ſaturate, amœne tamen ſemper rubri, diaphanæque; poſſideo tamem eodem e mari Varietatem viridem, in qua præterea, in partibus frondis inferioribus, ſparſa hinc inde neſcio quæ? puncta obſervavi obſcuriora, nigro-viridia. An hæc, globuli ii minimi, nigri, rotundi, Gmelini? & quis eorum uſus? finisve? Iconem hic, niſi magnopere fallar, Oederi 826. tamquam Fuci Ceranoidis Varietatem viridem citare debebam. Eam quidem præſtantiſſimus cætera autor pro Fuco Linnæi criſpato proponit; ſed vereor, ne in eo deceptus ſit, quod frondium ſpiralem, aut verius cochleatam intorſionem, pro earumdem marginali criſpitudine acceperit. Jam Gmelinus recte obſervavit, intorſionem hanc, a natura Fuci Ceranoidis alienam haud eſſe; addere ex propriis ipſe poſſum obſervationibus, eam & admodum frequenter non in Fuco duntaxat Veſiculoſo, ſed & in eo obſervari, quem Exciſum Linnæus, Gmelinus contra Canaliculatum dixit. An non vel ideo etiam nullam Gmelinus inter Veſiculoſum & Spiralem Linnæi veram agnoſcere voluit differentiam ſpecificam? ſed ne fruſtra altercemur, ſit.

CCC.

FUCUS CRISPATUS. *Tab.* 16. *fig.* 2.

Fucus fronde decumbente coriaceo - membranacea ramosissima, una cum ramis sublineari, margine sinuato - lobata, crispaque.

Fucus frondibus membranaceis sublinearibus ramosissimis, crispis, coloratis, tenerrimus, sanguineus. *Linn. syst. nat. tom.* 2. *pag.* 718. *num.* 50. *Gunner. flor. norv. tom.* 2. *pag.* 32. *num.* 437.

Decerpsi ex ingenti, multas libras appendente, matricique suæ inhærente adhuc, Madrepora ramea L. ex mari Ragusano apportata, plurima inter conchylia, Zoophytaque eidem adnata. Tenerrimum, amœnissimeque purpurascens fuci folium, substantiæ est coriaceo - membranaceæ. Hæret corporibus submarinis, ut hac in gente moris est, basi in discum homogeneum planum, & orbicularem distenta, firmiter conglutinatum. Totum inde in frondem adolescit sublinearem diaphanam nullo percursam caule crassiore, duas tresve aut & quatuor lineas latam, varie utrinque, & multiplicato-ramosam; ramis & ipsis oblongis, sublinearibus, eadem, qua princeps frons, ratione frondiformibus. Supina, dum a Madrepora avulsi, decumbebat porrecta frons omnis; haud tamen incredibile, pelago mersam erigere se posse, succolatam undis. Surrecta interim, aut prostrata, ornamentum semper longe pulcherrimum a lateralibus nonnisi accipit marginibus, qui altius tantisper elevati, per omnem matris, ramorumque longitudinem, lactucæ adinstar, sinuoso - lobati, crispatique sunt.

CCCI.

CCCI.

FUCUS PAVONIUS.

Fucus fronde coriacea plana reniformi - flabelliformi, prolifera, longitudinaliter ſtriata, & transverſe concentrice ſulcata.

Ulva plana reniformis ſeſſilis decuſſatim ſtriata. *Linn. ſyſt. nat. num. XIII. pag.* 719. *num.* 0. *Allion. flor. pedem. tom.* 2. *pag.* 333. *num.* 2634. *Gerard. flor. galloprov. pag.* 26. *num.* 7. ſub Fuco. *Gmelin. hiſt. fuc. pag.* 169. ſub Fuco.

Epatica ſimilis pennis caudæ pavonis. *Ginan. op. poſth. tom.* 1. *p.* 26. *tab.* 28. *fig.* 63.

Fucus maritimus gallopavonis pennas referens. *Elliſ. hiſt. coral. pag.* 95. *tab.* 33. *fig. C.*

Corallina pavonia. *Pallaſ. zooph. p.* 419. *num.* 1.

In eadem cum priore Fuco Madrepora ramea; tum & frequentius in fucorum majorum trunco, item ſpongiis. Semper Fucis adnumeraverat Linnæus; nec ſatis perſpicio, cur nunc ad Ulvas relegarit? Pallaſius contra ob calcareum indubie, quo plerumque (non tamen ſemper) incruſtatur corticem, perinde ac Corallina opuntia, ad regnum abſtraxit animale, Corallinis adſocians. Non, quod reapſe crediderit, vitam vivere animalem; perbene enim, perſpicaciſſimus ut eſt, agnovit, non ſolum Algam hanc, ſed omne etiam Corallinarum (eodemque jure & Spongiarum) genus Botanicis ſatius relinquendum videri; ſed verebatur denique, ne poſteaquam & Elliſius & Linnæus Corallinas Zoophytis adgregavere, aureum cætera ejusdem de Zoophytis opuſculum imperfectionis, neſcio cujus? inſimularetur.

Folium Fuco pavonio eſt frondiforme, coriaceum, planum, figuratum, ex reniformi ſcilicet ambitu, baſin verſus attenuatum, ac in petiolum velut decurrens, flabelliforme omnino; ut plurimum eo ſenſu proliferum, quod aut a peripheria baſin verſus in plures ſibi ſimiles dehiſcat frondes, aut certe ſpurio ſuo petiolo adnatas ejusmodi habeat alias, ut frondem flabelliformem ex pluribus compoſitam dicere poſſis. Colore eſt primum obſcure viridi, tum ex virore magis, magisque rubro, demum fuſco, ſive bruneſcente. Subtiliſſimæ illud ſtriæ longitudinaliter percurrunt, baſin verſus convergentes, cum capillaribus internæ ſubſtantiæ tubulis alternantes; ſed & rugis quoque, ſive ſulcis concentricis exaratum eſt transverſe, ut non immerito decuſſatim ſtriatum Linnæus dixerit. Superficies ejus utraque, nivea plerumque ſuperinducitur cruſta calcarea, ad eum, quo Corallina ſolet opuntia modum; vidi tamen non raro, inferam ſaltem, ſubtiliſſimo primum Spongiæ Pallaſii paniceæ inſtratam vellere, ac deſuper ſolummodo calce incruſtatam. At nihil hæc ad propriam, veramque ſtirpis ſubſtantiam; tamque parum, quam Millepora Linnæi coriacea, aut Cellepora ſive ſpongites, ſive pumicoſa, ad Fucorum, quos non infrequenter incruſtant, ſubſtantiam; ut non parum omnino miratus fuerim, dum apud Gmelinum citato loco legi: ſtirps ſubſtantiæ calcareæ.

IN-

INDEX.

Pag.

A.

Aira ſpicata - - - 32
Andromeda polifolia - - 37
Anemone vernalis - - 10
Anthericum liliago - - 62
Arbutus alpina - - - 92
— — Uva urſi - - 90
Arenaria marina - - - 86

B.

Betula nana - - - 61
Bupleurum Odontites - - 68
— — ranunculoides - - 66

C.

Capparis ſpinoſa - - - 76
Ceraſtium alpinum - - 19
Cynogloſſum cheirifolium - - 30

D.

Daphne alpina - - - 6

E.

Epilobium alpinum - - 3

F.

Fucus botryoides - - 146
— — cartilagineus - - 147
Fucus ceranoides - - 160
— — confervoides - - 151
— — criſpatus - - 162
— — faſtigiatus - - 152
— — filicinus - - 157
— — fruticuloſus - - 159
— — marginalis - - 153
— — muſciformis - - 154
— — pavonius - - 163
— — ſpinoſus - - 156
— — volubilis - - 149

G.

Gentiana nivalis - - 8
Gypſophila muralis - - 79

J.

Juncus anguſtifolius - - 56
— — latifolius - - 59
— — niveus - - 54
— — ſubverticillatus - 51
— — triglumis - - 41

L.

Lichen Acetabulum - - 125
— — alboflaveſcens - 111
— — albo - incarnatus - 186
— — aurantiacus - - 101

	Pag.
Lichen candelarius	124
— — carbonarius	118
— — coriiformis	142
— — crispus	129
— — cristatus	139
— — deustus	98
— — elveloides	108
— — fascicularis	137
— — flosculosus	99
— — fucoides	143
— — fugax	141
— — fuscorubens	112
— — grancfus	131
— — lacteus	107
— — laqueatus	109
— — lichenoides	136
— — madreporæformis	105
— — opuntioides	133
— — pallescens	112
— — papyraceus	134
— — peltifer	104
— — petræus	116
— — physodes	122
— — polyphyllus	94
— — quercifolius	127
— — rosatus	100
— — sanguinarius	114
— — sanguineo — ater	117
— — specioſus	119
— — sphæroides	102
— — submarginalis	132
— — viridiflavescens	101

M.

	Pag.
Monotropa Hypopithys	70

P.

	Pag.
Pæonia officinalis	77

R.

	Pag.
Rhamnus alpinus	15
— — infectorius	17

S.

	Pag.
Salix anguſtifolia	48
— — rosmarinifolia	45
Salvia officinalis	88
Saxifraga tenella	144
Schœnus compreſſus	74
— — Mariſcus	72
Sedum villoſum	39
Spartium junceum	81
— — radiatum	83
Spiræa ſalicifolia	5
Stellaria bulboſa	21

T.

	Pag.
Triticum maritimum	34

V.

	Pag.
Veronica aphylla	28
— — bellidioides	23
— — ſaxatilis	25
Vitex Agnus caſtus	64

ERRATUM.

Pag. 32. lin. 1. poſt *ſpicata* adde *Tab. 19. fig. 3.*

II.

II.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
OBSERVATIONES BOTANICÆ

continuatæ poſt Coll. vol. 2. pag. 372.

CCCVIII.

CALENDULA ARBORESCENS.

Promontorium bonæ Spei patria eſt; apud nos æſtatem ſub dio agit, totamque floret copioſe, hyeme in hybernaculo ſervanda, ſempervirens, odoris balſamici, tandem tripedalis, ex ramis valde paniculata, inconcinni habitus, & ſic debilis, ut ſuſtentaculo egeat. Truncus digitum minimum craſſus, cinereus, teres, vel ab ipſa baſi ramoſus, aſperiuſculus. Rami debiles, patentiſſimi vel etiam reclinati, cinerei, calamum craſſi, longi, aſperi, teretes, ſubdiviſi; ramuli juniores virides, villoſi, foliioſi, ſoluti in pedunculos uniſloros, teretes, ſcabros, longitudine diverſos, omnino numeroſos. Folia ſunt cuneiformi - lanceolata, acuta, craſſa, rigidula, utrinque aſpera, ſerrato - dentata, ad oras per lentem hirtula, ſub-

ſubſeſſilia, biuncialia, caulina & ramea inferiora oppoſita, ſumma alterna. Flores odorati. Calycis communis ſimplicis ſquamæ decem ad quindecim, lanceolatæ, acutæ, erectæ, concavæ, craſſæ, aſperæ, virides. Corollulæ fœmineæ fertiles in radio fere tot, quot ſquamæ calycis, luteæ, ſubtus e ſuſceſcente lineatæ, patentiſſimæ, tridentatæ. Hermaphroditis diſci ſterilibus plurimis corollulæ e flavo virentes, quinquefidæ. Anthera nigra. Pollen flavum. Semina oblonga, tribus alis pellucidis membranaceis donata. Mox poſt fœcundationem flos reflectitur, & fit cernuus.

CCCIX.

PASSIFLORA CUPREA. *Linn. ſyſt. pag.* 821.

Granadilla flore cupreo, fructu oliviformi. *Dill. elth.* 1. *pag.* 165. *tab.* 138. *fig.* 165.

Granadilla americana, fructu ſubrotundo, corolla floris erecta, petalis amœne fulvis, foliis integris. *Mart. cent. pag.* 37. *tab.* 37.

Granadilla foliis ſarſaparillæ trinerviis, flore purpureo, fructu olivæformi cæruleo. *Catesb. car.* 2. *pag.* 93. *tab.* 93.

Sponte creſcit in inſulis Bahamenſibus; in caldariis noſtris lætiſſime vegetat, floribus totam æſtatem onuſta, fructus etiam non paucos ad maturitatem perducens, tota perennis, glabra & ſæpe ſempervirens. Radix ramoſa, fuſca. Caules plures, teretes, ſeniores digitum craſſi & fuſci, duodecimpedales, ramoſiſſimi; dum terræ incumbunt, ex nodis radicantes. Folia ſunt alterna, ovata, integerrima, obtuſa cum exiguo & innocuo mucrone, trinervia, venuloſa, firmula, facie ſaturate virentia, ſubtus pallidio-

diora & ſic glanduloſa; ut in duabus areis, inter extimos nervos mediumque comprehenſis, glandulæ ſerie longitudinali ſedeant a ſex ad decem, quarum infimæ ipſos ſinus nervorum occupent, nervique laterales etiam externe ad baſin glandula una alterave ſuffulciantur; ab una ad duas cum dimidia uncias longa, petiolo innixa ſemunciali glandulisque deſtituto. Variat nonnumquam eadem individua planta quidem, ſed in diſtinctis ramis, foliis aut oblongis, aut ovato-oblongis, aut lanceolato-linearibus. Cirri axillares, longi, indiviſi. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, unciales, geniculati. Perianthii quinquepartiti laciniæ ſunt anguſte oblongæ, obtuſulæ, patentiſſimæ, ad minus unciales, intus ſanguineæ, dorſo virentes cum oris ſanguineis. Petala utrinque ſanguinea calycis figuram habent, ſed breviora & paulo anguſtiora. Nectarium conſtat ordine ſimplici & unico radiorum brevium, baſi atropurpureorum, ſuperne ſaturate croceorum, in principio patularum, dein conniventium. Columna, genitalia ſuſtinens, fere calycem longitudine æquat, & ſaturate purpurea eſt. Antheræ vireſcunt. Styli purpuraſcunt. Stigmata & germen virent. Bacca ovalis, mollis, purpureo-atra, olivæ maturæ magnitudine & forma. Pulpa aquea, inſipida. Semina numeroſa, ovata, acuta, compreſſa, rugoſa, atra.

CCCX.

BORAGO ZEYLANICA. *Linn. ſyſt. pag.* 188. *Linn. mant. pag.* 202.

Borago foliis ramificationum oppoſitis; florum alternis, oblongis; pedunculis terminalibus unifloris; calycibus protuberantibus. *Burm. ind. pag.* 41. *tab.* 14. *fig.* 2.

Anchuſa bugloſſoides, lithoſpermi ſemine. *Pluckn. alm. pag.* 13. *tab.* 335. *fig.* 4.

Sponte creſcit in Zeylona & in inſula Mauritii. Radix annua & ramoſa caulem profert erectum, teretem, aſperum, hirſutum, bipedalem, craſſitie calami, pallide virentem, & ex alis foliorum ramoſum. Folia ſunt longe lanceolata, acuta, integerrima, utrinque aſperiuſcula & hirſutula, virentia, venis adſcendentibus prædita, fœtida, majora quatuor vel quinque uncias longa; caulina oppoſita breviterque petiolata; ramea inferiora ſimilia, ſed minora; utraque ſuperiora ad pedunculos alterna & ſeſſilia. Pedunculi in ſummis caule & ramis alternatim ſparſi, modo laterales inter folia, modo axillares aut oppoſitifolii, hirſuti, uniflori, ſolitarii, nutantes, foliis longiores. Calyx ſemiquinquefidus, apophyſibus poſticis deſtitutus, piloſus, longitudine corollæ. Tubus ejus campanulatus, quinquangularis, viridis cum angulis albo-villoſis. Limbus patentiſſimus; laciniis lanceolatis, acuminatis. Petali tubus infundibuliformis, pallens. Limbus planus, patentiſſimus, margine quinquefidus & acutulus, albidus cum ſtella cærulea. Antheræ flavæ. Germina glabra. Stylus filiformis, albus. Stigma ſimplex, obtuſulum. Semina quatuor, ſubrotunda, glabra, in fundo calycis erecti.

CCCXI.

CCCXI.

PAVONIA URENS. *Cavan. diſſ. pag.* 137. & 183.

In inſula Mauritii ſponte creſcit; apud nos in caldariis læte vegetat, florens Decembri & Januario, a ſatione tertio primum anno, tum jam octopedalis, dein ultra elonganda, ex infima caulis parte ramos erectos producens, dein ex foliorum ſuperiorum alis ramoſus. Caulis erectus, arboreus, teres, pollicem & ultra craſſus, cinereus, medulla alba plenus, inferne mollis & denſe tomentoſus ſine hiſpiditate. Folia ſunt alterna, longe petiolata, remota, palmata, ſeptemlobata, majora novemlobata, utrinque hiſpida, rugoſa, patentiſſima, circumſcriptione ſubrotunda, baſi cordata ſinu acuto, inciſo - biſerrata, majora pedem lata & fere longa cum petiolo decemunciali; lobis ſemiovato - acuminatis; petiolo tereti, craſſo, villoſiſſimo & hiſpido. Alii enim numeroſiſſimi villi in tota planta molles & breviores ſunt; aliique his interſperſi rigidi, pungentes, ſuburentes & paulo longiores, qui in caule tandem decidunt, dum molles perſiſtentes tomentum formant. Stipula utrinque petiolo adſidet ſolitaria, ſubulata, ciliata, hiſpida, uncialis, primum erecta & viridis, dein marceſcens & decidua. Pedunculi axillares aggregati, plerumque unus uniflorus, & alter biflorus, breves, lanati, craſſuli, parumper nutantes; terminales plures. Calyces virent. Corolla carnea cum ſtriis roſeis & fundo ſaturatiſſime roſeo. Filamenta & ſtigmata roſea ſunt. Antheræ coccineæ cum polline albo globoſo & echinato. Germen villoſum viret. Capſulæ ferrugineæ, hirtulæ, piſo duplo majores. Semina ejusdem coloris, glabra nec nitida. Odor floris & totius plantæ cucumerinus eſt.

CAL. Perianthium duplex, perſiſtens. Exterius circiter enneaphyllum; foliolis lanceolato-linearibus, acutis, erectis, hiſpidis. Interius monophyllum, campanulatum, erectum, ſemiquinqueſidum, longitudine exterioris, ſtriatum, hirſutum; laciniis ovatis, acutis, ciliatis.

COR. campanulato-patens, quinquepartita, calyce triplo longior; laciniis obverſe ovatis, obtuſiſſimis, ſubcrenulatis, ſtriatulis, ſæpius emarginatis, in uno latere villo ciliatis.

STAM. Filamenta circiter viginti quinque, in unum corpus coalita, declinatula. Antheræ reniformes.

PIST. Germen ſubrotundum, quinqueſulcatum, obtuſum. Stylus filiformis, ſtaminibus paulo longior. Stigma decemfidum, patentiſſimum; laciniis apice peltatis, planis, ciliatis, ſtylo craſſioribus.

PER. Capſulæ quinque, in fructum ſubrotundum collectæ, triquetræ cum latere dorſali gibbo, terminatæ ariſta erecta per totam longitudinem hamata, aliisque duabus ſimilibus ſed brevioribus ex ſummo dorſo ad latera, uniloculares, bivalves.

SEM. ſolitaria, figura capſulæ.

CCCXII.

NEOTTIA MINOR.

Helleborine foliis liliaceis, radice aſphodeli, minor. *Plum. cat. pag.* 9. *Plum. ic. pag.* 184. *tab.* 190.

Flo-

Floret in caldariis noſtris Martio & ſequentibus, fructumque maturum ferre incipit Majo; ſpontanea in Caribæis. Radix perennis, faſciculata, ſordide pallens; ex fibris pluribus, ſimplicibus, teretibus, a tribus ad ſex uncias longis, obtuſis, fere digitum minimum craſſis. Folia radicalia plura, petiolata, late lanceolata, acuta, integerrima, obſcure nervoſa, ſordide glauceſcentia, craſſula, glabra, erectiuſcula, quadriuncialia, nervo dorſali protuberante, petiolo canaliculato. Spadix erectus, teres, ſesquipedalis, ad lentem villoſus, ex viridi purpuraſcens, ſpathis remotis acutis amplexantibus virentibus glabrisque veſtitus. Spica ſemipedalis, laxa. Flores ſeſſiles, inodori, undique orti, ſed verſus unam partem verſi omnes. Spatha ad quemlibet florem lanceolato - acuminata, concava, viridis, glabra, longitudine germinis, idemque ſemiamplectens. Corolla ex germine ſuperne incurvato cernua, viridis, glabra, excepto petalo exteriori ſummo villoſulo. Petala duo interiora ad apicem pallide fuſceſcunt. Nectarium albet. Filamentum pallide fuſceſcit. Antheræ & pollen pulverulentum ſunt ochroleuca. Semina ad lentem ſunt teretia, obtuſa, pellucida, & alba cum media parte vireſcente. Quum nequeat ad ullum genus cognitum recte reduci, antiquum Neottiæ genus in hac planta reſtitui.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex. Perianthium nullum.

COR. Petala quinque, erecta, tria exteriora; duo interiora.. Duo exteriora inferiora, quæ latera labii inferioris nectarii claudunt, oblonga, obtuſa, concava, reliquis petalis fere duplo longiora; tertium ſuperius lanceolatum, acutum, concavum, apice patens. Duo interiora lineari - oblonga, plana, obtuſa, longitudine petali ſummi exterioris, ſub quo recondita.

Nectarium ex collo anguſto expanſum in labellum ſubrotundum, planum, emarginatum, erectum, longitudine petalorum longiorum.

STAM. Filamentum lamina ſcarioſa, ovata, acuta, erecta, concava, diſſepimento longitudinali bilocularis, corolla duplo brevior. Antheræ duæ, lanceolato-acuminatæ, longæ, ſitæ in loculis filamenti.

PIST. Germen oblongum, obtuſe trigonum, inferum, longitudine corollæ. Stylus brevis. Stigma infundibuliforme, antice auctum appendicula biloculari longitudine antherarum.

PER. Capſula ovata, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, capillaria, ſcobiformia.

CCCXIII.

NEOTTIA SPECIOSA.

In America torrida creſcit; in caldariis Schönbrunnenſibus, ſempervirens, & florens Januario & Februario. Radix faſciculata & perennis conſtat ex tuberibus carnoſis, teretibus, calamum vel & digitum minimum craſſis, duas tresve uncias longis, foris ſordide pallentibus, etiam paucis nonnunquam extra terram enatis. Folia radicalia plura, ad decem, longe lanceolata, acuta, baſi veluti in petiolum latum anguſtata, integerrima, ad oras ipſas multiundulata ſic ut crenata videantur, ibidemque rigidula, cæterum plana cum nervo medio ſubtus protuberante ac ſubcarinato, craſſula, per venas paucas adſcendentes ſubnervoſa, glabra, erecto-patula, plus minus ſemipedalia, ſaporis ingrati & ſubamaricantis. Spadix erectus, teres, foliis fere duplo altior, calamum craſſus, glaber, totus quantus ſpathis

this veſtitus, pallens inferne cum virore, ſuperne cum aliqua rubedine, ultra dimidiam partem ex floribus ſpicatus. Spathæ anguſte lanceolatæ, acuminatæ, concavæ, erectiuſculæ, inferiores biunciales & pallide virentes, ſuperiores ſucceſſive breviores & rubeſcentes. Flores inodori, breviſſime pedicellati, unciales, erecti. Germen cum aliqua rubedine pallet, punctisque paucis ſparſis exaſperatur. Petala rubent, exterioria dilute. Nectarium petalis interioribus concolor eſt. Filamentum nigreſcit. Antheræ pallide flaveſcunt. Stigma albet. Flos tritus, imprimis germen, ſingulari nec grato odore præditum eſt. Antheræ in clauſo adhucdum flore hærent in loculis laminæ, filamenti propterea a me dictæ. In expanſi floris deductis vi partibus excidunt, undique liberæ.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.

COR. Petala quinque, longitudine æqualia, anguſte lanceolata, acuminata, plana. Tria exteriora tota erecta; quorum alterum, dorſum corollæ occupans, baſi canaliculato - connivens; duo reliqua paulo demiſſius germini inſeruntur. Duo interiora cum dorſali interiori alternantur, & ante hoc poſita, ſuperne patula.

Nectarium monophyllum, ex latiore baſi lanceolatum, acuminatum, indiviſum, inter & intra petala duo exteriora inferiora poſitum, quorum longitudine, baſi ſtylum ſemiamplectens, erectum, ſuperne patulum, petalum interius tertium mentiens.

STAM. Filamentum lamina ſcarioſa, ex ſtyli limbo dorſali orta, lanceolata, acuta, erecta, paulo brevior corolla, interne longitudinali diſſepimento bilocularis. Antheræ duæ, lineares, longæ, locatæ in loculis filamenti, baſi parumper bifidæ, incumbentes receptaculo ſubulato parallelo & longitudine corollæ.

PIST.

PIST. Germen inferum, oblongum, inferne anguſtatum, obtuſe trigonum, fere longitudine corollæ. Stylus craſſus. Stigma infundibuliforme, antice productum in appendicem lanceolatam, acuminatam, longitudinaliter bilocularem, erectam, ſitu & longitudine filamenti, ſubtus barbatam.

PER. Capſula oblonga, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

CCCXIV.

LIMONIA TRIFOLIATA. *Linn. ſyſt. pag.* 402. *mant. pag.* 237.

Limonia ſpinis axillaribus geminis; foliis ternatis, ovatis, impari majore; fructu ſolitario. *Burm. ind. pag.* 103. *tab.* 35. *fig.* 1.

Arbor tota glabra, in caldariis Schönbrunnenſibus humanæ altitudinis, trunco brachium craſſo, cortice fuſcocineraſcente, ramoſiſſima, ramulis alternis & patulis. Spinæ ſubulatæ, pungentes, rectæ, patentes, laterales utrinque ad folia & ramulos, ſeniores fere dimidiam unciam longæ. Folia alterna, ſubbifaria, breviſſime petiolata, nitida, ternata; foliolis obtuſis, retuſis, obſoletiſſime crenatis, utrinque pellucide punctatis; lateralibus ovatis, ſemuncialibus; intermedio lanceolato, unciali & ultra. Flores ſuaveolentes, breviſſime pedunculati, axillares, gemini vel terni mutuo tardius ſuccedentes. Calyx villoſulus viret. Corolla & filamenta albent. Antheræ ſunt ochroleucæ. Stigma flavet. Fructus rubrobadius, mollis, magnitudine avellanæ. Pulpa excolor, dulciſſima, cum levi terebinthinæ ſapore; immatura glutinoſa & mere terebinthinacea. Semina pal-

li-

lida cum ſuffuſis virore & purpura, magna, glabra; nucleo viridi, bilobo, & ſaporis ingratiſſimi tandemque acris. Plerumque in quolibet fructu unicum vel alterum ſemen matureſcit; reliqua abortant; & vel tunc ob ſeminis magnitudinem pulpamque in fructu contentam diſſepimenta ſic comprimuntur ad invicem, ut difficulter loculamentorum numerus perſpiciatur. In floribus paucis vidi petala quatuor cum ſtaminibus octo. Ex inſula Mauritii huc transvecta fuit, originis Sinicæ, unde apud nos æſtatem fert ſub dio, florens a Majo ad Julium, fructum dans copioſum ſeptembri.

CAL. Perianthium inferum, monophyllum, parvum, campanulatum, obtuſum, ore trifido.

COR. Petala tria, lanceolato-oblonga, obtuſa, plana, inferne erecta, ſuperne patentiſſima.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, æqualia, petalis paulo breviora, receptaculo inſerta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ovale, obſolete trigonum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus longior. Stigma trilobo-capitatum.

PER. Bacca ſubrotunda, quinquelocularis.

SEM. ſolitaria, ovalia, compreſſula.

CCCXV.

CINERARIA LANATA. *Tab.* 19. *fg.* 1.

Sponte creſcit in inſulis Canarienſibus. Apud nos ætatem ſub dio, hyemem in tepidario tranſigit, florens æſtate, etiam hyeme elegantius. Caules ex eadem radice plures, debiles, graciles, fruticoſi, ſempervirentes,

tes, alii erecti, alii adscendentes aut etiam dejecti, ramosi, teretes, ad summum bipedales, seniores lignosuli subglabri & fusci, juniores herbacei & sublanuginosi. Folia sunt alterna, longius petiolata, subrotunda vel magis cordata, aut etiam reniformia, quinquelobata aut septemlobata, denticulata, mollia, supra sordide virentia & obsolete lanata, subtus ex lana valde appressa densaque alba, novella quandoque subtus eleganter violacea. Pedunculi elongati, terminales, uniflori, superne incrassati, glabriusculi, bracteolis lanceolatis inferne vestiti. Flores fere bipollicaris diametri. Calycis simplicis, glabri, virentis basique plani foliola circiter quatuordecim, subæqualia, lanceolata, acuta, striata, erecta cum apicibus patulis. Corollulæ fœmineæ in radio fere totidem, quot calycinæ squamæ, lineari-lanceolatæ, tridenticulatæ, striatæ, patentissimæ, foris albidæ cum levissima suffusa purpura, intus superne purpureæ & inferne albæ. Corollulæ disci plani quinquefidæ & saturate purpureæ. Antheræ ferrugineæ cum polline luteo. Pappus pilosus, sessilis, albidus.

CCCXVI.

EUPHORBIA PICTA.

Planta suffruticosa sponte crescit in Venezuela, tota lactescens, in caldariis nostris florens totam æstatem. Caulis calamum & ultra crassus, teres, erectus, basi glaber & fuscus, bipedalis & ultra, quandoque superne trichotomus. Rami cauli similes, erecti, virentes, angulati, hirti, dichotomi. Folia opposita & alterna, ad trichotomiam (si adest) terna, ovata, acutula vel obtusa, integerrima vel inæqualiter repanda, venulosa, utrinque & ad oras una cum petiolis hirtula, facie sordide virentia pictaque

que faſcia longitudinali cineraſcente duplice inque unum apicem concurrente. Pedunculi uniflori, hirtuli, breves, erecti, ſolitarii ex ramorum dichotomiis. Flores pufilli, omnes fertiles. Calycis virentis, hirti & quinquedentati laciniæ ſunt erectæ & ciliatæ. Petala duo, late ovata, obtuſa, patentiſſima, germini oppoſita, alba cum baſi rotundata virente. Germen punctatum, pendulum. Styli ſemper ſex, diſtinctiſſimi, ſimpliciſſimi, filiformes, albi, patentiſſimi. Stigmata ſimplicia. Capſula glabra, matureſcens erecta. Semina ſcrobiculata, cinerea.

CCCXVII.

EUPHORBIA PUNICEA. *Swarz. prodr. pag. 76.*

In Jamaica ſponte creſcit; apud nos in caldariis floret primo vere & autumno; ſed flores laterales, uti nec fructus huc usque perfecit. Frutex tres aut plures pedes altus, erectus; trunco pollicem & ultra craſſo, terete, & cinereo. Rami ſunt trichotomi. Folia ad extremitates ramulorum ſparſa, lanceolato - cuneiformia, obtuſa cum innocuo mucrone, integerrima, ſubſeſſilia, venis transverſis obſcure lineata, ſubtus glauca, plana, tres quatuorve uncias longa; ſumma, quæ involucri univerſalis loco ſunt, eleganter & ſaturate punicea. Rami aphylli juniores cicatricibus notantur a foliis dilapſis. Umbella univerſalis quinquefida, patens; radiis purpureis, craſſis, plus minus uncialibus, bifidis, trifloris. Involucri partialis foliola duo, oppoſita, ovata, concava, obtuſa cum innocuo mucrone, integerrima, punicea, patentia, uncialia. Flores terni, breviter pedunculati, hermaphroditi, quorum intermedius lateralibus oppoſitis duobus diu præcedit. Calyx turbinatus, obſolete purpuraſcens, quinqueden-

tatus. Petala quinque, ſubrotunda, cupellata, integerrima, flava. Germen virеſcit. Stigma trifidum, flaveſcens, cum apicibus ſanguineis & ſubbifidis. Capſula glabra. Tota glabra ſucco abundat lacteo ſubacri & exſiccante.

CCCXVIII.

EUPHORBIA NUDIFLORA.

Sub hoc titulo ex Anglia transmiſſa fuit, ſine indicata patria. Apud nos colitur in caldariis. Frutex humanæ altitudinis, erectus. Truncus teres, pollicem craſſus, albo fuſcoque ſubſuberoſe variegatus, ſæpe trichotomus, glaber. Folia ſunt terna oppoſitave, petiolata, ovata, acutula, integerrima, venuloſa, parumper undulata, tres quatuorve uncias longa, in margine & petiolis ad lentem villoſula, cæterum glabra. Racemi cymoſe ramoſi, erecti, multiflori, axillares, glabri, biunciales, involucris & involucellis deſtituti, ſed muniti dumtaxat ad diviſiones bracteolis minutis & caducis. Omnes flores pentapetali ſunt; ſed alii fertiles, alii ſine piſtillo ſteriles. Perianthium campanulatum, ſemiquinqueſidum; laciniis ſubrotundis, obtuſis, patentiſſimis, ciliato - crenatis, intus pallide ſulphureis, foris una cum tubo virentibus. Petala quinque, peltata, compreſſo - concava, viridia, tubo calycis ante ſingulas lacinias inſerta, & his multo minora. Germen longe pendulum. Capſula glabra. Semina ovata, rugoſula, atra. Tota abundat lacte acri & ingrato.

CCCXIX.

CCCXIX.

HEDYSARUM GYRANS. *Linn. ſyſt. pag.* 675. *Linn. ſuppl. pag.* 332.

Sponte creſcit in Bengala ad Gangem, unde anno 1775. Europæ innotuit. In caldariis noſtris lætiſſime vegetat æſtate & autumno, hyeme plerumque languet, proximo primo vere perire ſolet. Ex illis autem individuis plantis, quæ, vere ſuperato, novas æſtate ſubſequa vires recuperant, paucæ Decembri & Januario flores tulere, fructum Februario. Ad tertium ætatis annum nulla perveñit. Radix ramoſa. Caulis erectus, calamum vel & digitum minimum craſſus, tres quatuorve pedes altus, teres, enodis, glaberrimus, non lignoſus, totus tandem ramis virgatis erectisque auctus. Folia ſunt alterna, petiolata, in adulta planta omnia ternata cum deficiente rarius uno alterove foliolo laterali; petiolo communi plus minus unciali, ſemiterete, erectiuſculo, plus minusve piloſo. Foliolum intermedium eſt lineari-lanceolatum, integerrimum, obtuſulum, ſupra glabrum & ſordide virens cum diſco medio magis cinereo; ſubtus pallide virens, venis reticulatum & villis appreſſis minimis tectum; a duabus ad quatuor uncias longum. Lateralia minima, linearia, dimidiam unciam haud multum ſuperantia; donata petiolo proprio brevi, motu veluti gyratorio foliola huc illuc ſponte movente. Stipulæ ad petiolos communes lanceolatæ; ad proprios ſubulatæ; erectæ, acutæ. Racemi axillares ſolitarii ſimplices, at terminalis compoſitus ex pluribus aliis ſimplicibus patentiſſimis cum terminali erecto, tandem fere ſemipedales, ad lentem villoſuli, graciles. Flores gemelli, breviter pedicellati, numeroſi; bractea ſuffulti ovata, acuta, concava, ſtriata, ad lentem villoſula, pallide viridi & caduca. Hæ bracteæ in racemi parte nedum evoluta ſunt imbricatæ.

Calyx villoſus pallet. Corolla eſt ante meridiem pallide violacea, dein ſordide miniata. Vexillum ſubtiliſſime ſtriatum. Alæ oram vexillum reſpicientem habent cæruleam. Filamenta & ſtylus albent. Antheræ ſunt ochroleucæ. Germen hirſutum viret. Legumina villoſa, ſeſcuncialia & ferruginea continent ſemina ex atro fuſcoque variegata cum hilo albo nitidaque.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, campanulato - patentiſſimum, ſemiquinquefidum: laciniis ſemiovatis, acutis, ſummis duabus minus profunde ſectis.

COR. papilionacea.

Vexillum amplum, late ſubrotundum, emarginatum, conniventi-compreſſum, ungue breviſſimo. Alæ vexillo oppoſitæ, obverſe ovatæ, concavæ, obtuſæ, vexillo breviores.

Carina falcata, ſitu & longitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum) erecta, ſuperne parum adicendentia, ſuperne diviſa & alterna paulo breviora duploque latiora reliquis. Antheræ ovatæ, erectæ.

PIST. Germen lineare, breve. Stylus filiformis, ſitu ſtaminum, iisque paulo longior. Stigma obtuſum.

PER. Legumen lineare, compreſſo - planum, ex articulis ſubrotundis & monoſpermis pluribus.

SEM. ſolitarium, reniforme.

CCCXX.

EUGENIA BARUENSIS. *Jacq. amer. pag.* 153.

Creſcit in inſula Baru prope Carthagenam in America; apud nos in caldariis lætiſſime, florens prima vice quarto ætatis anno, ſed raros perficiens fructus, tunc bipedalis & valde jam ramoſa, ſempervirens, totaque glabra. Cortex eſt cinereus cum ſtriis fuſcis. Rami oppoſiti & alterni. Folia oppoſita, lanceolata vel ovato-lanceolata, breviter petiolata, coriacea, nitida, obtuſe acuminata, plus minus biuncialia, trita haud grate odorata, prædita ſapore adſtringente. Pedunculi axillares, etiam in ramulis ſenioribus ex alis cicatricum foliorum præteritorum, breves, alii ſimplices uniflori & aggregati, alii racemoſi. Bracteolæ ad pedicellos minutæ & fuſcæ. Flores odoratiſſimi, odore æmulantes flores tiliæ. Perianthium virens, ſuperum, quadripartitum, profundiſſime ſectum, ut fere tetraphyllum, deciduum; laciniis ſubrotundo-acutulis, concavis, patentiſſimis, apice purpuraſcentibus, oppoſitis duabus latioribus. Petala quatuor, ovata, obtuſa, concava, patentiſſima, calyce multo longiora, nivea. Filamenta numeroſa, calyci inſerta, ſubulata, alba, corollam parumper ſuperantia. Antheræ oblongiuſculæ, incumbentes, flavæ. Germen ſubrotundum. Stylus ſubulatus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutum. Drupa globoſa, non coronata, nitida, nigra, piſelli magnitudine, unilocularis. Nux globoſa, glabra. Nucleus ſaporis aromatici. Calyx in fructu perſiſtit fere ad maturitatem usque; ante hanc tamen ſic decidit, ut non adfuiſſe videatur.

CCCXXI.

CCCXXI.

GERANIUM ASTRAGALIFOLIUM. *Cavanill. diſſ. pag.* 257. *num.* 377. *tab.* 14. *fig.* 2.

Geranium africanum aſtragali folio. *Commel. præl. pag.* 53. *fig.* 3.

E Promontorio bonæ Spei radix translata in hortum Cæſareum Schönbrunnenſem fuit, ubi floret per totam æſtatem, ſed ſemina huc usque nulla tulit. Radix perennis, carnoſa, pollicem craſſa, fuſceſcens, ætate multiceps. Folia radicalia plura & caulina pauciſſima vel nulla, pinnata, fere ſemipedalia; coſta terete & villoſa; foliolis ſemuncialibus vel paulo longioribus, ovatis, acutulis, integerrimis, villoſulis, mollibus, alternis, rarius oppoſitis, paucis ſæpe in alterutro vel in utroque latere gemellis, infimis petiolatis, ſuperioribus ſeſſilibus; terminali impari reliquis majore. Caulis vel ſcapus herbaceus, annuus, paucas uncias longus, teres, erectus, hirſutus, vix ramoſus, ſucceſſive emittit pedunculos communes ſemipedales, erectiuſculos, debiles, teretes, villoſos, umbelliferos. Involucri foliola plura, parva, anguſte lanceolata, acuta, hirſuta, patentiſſima. Radii plus minus octo, unciales, villoſi, patentiſſimi. Flores inodori. Calycis monophylli foliola quinque, lanceolata, acuta, villoſa, viridula; quorum quatuor anteriora ſunt plana & reflexa; quintum ſuperius concavum & paulo majus erigitur. Petala quinque, linearia, obtuſa, concava, patentiſſima, pallide ſulphurea; tria extrorſum verſa; duo his oppoſita retrorſum baſique magis erecta, tum etiam ſtriis purpureis circa medium lineata. In aliis individuis vidi petala duplo latiora, cuneiformia, punctisque tantum rubris nec ſtriis variegata. Filamenta decem, ſubulata, alba;

ba; quinque longiora fertilia, alia alterna quinque ſterilia. Antheræ oblongæ, rubræ. Germen ſericeum. Stigma quinquefidum, revolutum, rubrum.

CCCXXII.

POLYPODIUM TRIFOLIATUM. *Linn. ſyſt. pag.* 936. *Petiv. pterigr. num.* 13. *tab.* 7. *fig.* 3.

Hemionitis maxima trifolia. *Plum. amer. pag.* 22. *tab.* 32. *Plum. fil. pag.* 127. *tab.* 148.

Hemionitidi affinis Filix major trifida auriculata, pinnis latiſſimis ſinuatis. *Sloan. hiſt. jam. vol.* 1. *pag.* 85. *tab.* 42.

Filix ſeu Hemionitis dicta Caribæorum, ampliſſimis foliis, trifoliata. *Plukn. alm. pag.* 155. *tab.* 291. *fig.* 3.

Sponte creſcit in Martinica, Domingo, Jamaica & Venezuela. Radix perennis conſtat fibris faſciculatis numeroſis nigris. Stipites pluſculi, teretes ſine ullo ſulco, nitidi, calamo duplo vel triplo graciliores, modo toti nigropurpurei aut nigri, modo antice virideſcentes, inferne rariter paleacei, ad usque ortum frondis plus minus ſemipedales, dein ad proxima frondis foliola plus minus triunciales. Frons ternata ex foliolis duobus oppoſitis breviterque petiolatis & ex foliolo terminali, ipſo plerumque ternato. Foliola lateralia ſunt triloba; lobis lanceolato-cuſpidatis, obtuſe & ſinuate inciſis, idque valde inæqualiter, undulatis, longioribus ſemipedalibus. Tale etiam eſt foliolum medium folioli ternati terminalis, cujus lateralia minus ſunt inciſa. Tota frons eſt utrinque viridis, glabra,

venuloſa, & ſubtus adſperſa fructificationibus ſubrotundis diſtinctis & absque ordine poſitis, quæ ſingulæ etiam in prona frondis parte ex protuberantia paginæ cum foveola centrali intropreſſa conſpicuas ſeſe reddunt. Fructificatio conſtat ex membranula orbiculari & pallide virente, ſub quo locantur globuli numeroſi minuti fuſceſcentes, qui ultra orbitam membranulæ ſucceſſive prodeunt, & hanc tandem marceſcentem numero ſuo opplent. Folia lateralia connivent uti folia Geranii cucullati. Adeſt quandoque frons minor ſterilis ſimplex & triloba.

CCCXXIII.

POLYPODIUM HIPPOCREPIS.

Patria Venezuela eſt; apud nos in caldariis colitur, florens æſtate. Radix pollicem & ultra craſſa, nigricans, ſquamoſa, fibris nigris undique jubata. Frondes plures, a dimidio ad pedem & ultra longæ, erectiuſculæ, cucumerini odoris, pinnatæ. Stipes teres, non ſulcatus, inferne paleaceus, gracilior, plus minus ſordide purpureus, ad lentem villoſulus. Pinnæ oblongæ, in acumen paulatim anguſtatæ, cum aliqua flavedine virentes, tenues, ſupra rariter piloſæ, ſubtus fere glabræ, obtuſe inciſæ, oppoſitæ, utrinque a tribus ad quinque cum terminante impari; infimæ breviſſime petiolatæ, per dentem extimum infimum elongatum auriculatæ, & plus minus quinqueunciales; ſubſequæ duæ (ſi adſunt) adnato-ſeſſiles; reliquæ inter ſe decurſive connatæ. Dorſum pinnarum occupant fructificationes ſine ordine rariter ſparſæ, ferri equini forma, villoſæ, cum virore pallentes, margine exteriori a pinnarum pagina ſecedentes, atque tunc pulverem emittentes copioſum minutum globoſum & fuſceſcentem.

CCCXXIV.

CCCXXIV.

POLYPODIUM MULTIFIDUM.

Patriam ignoro. Colitur in caldariis horti Cæſarei Schönbrunnenſis. Radix pollicem craſſa multisque fibris nigris jubata plures emittit ſtipites, in principio convolutos, dein erectos, teretes, antice ſulco exaratos, glabros, inferne ſquamis veſtitos ferrugineis, nigros, infra frondem fere pedales. Frons ipſa circumſcriptione triangularis, ſeſquipedem alta lataque, glabra, triplicato - pinnata; pinnulis oblongis, plus minus ſemuncialibus, pinnatifide inciſis in lobulos oblongos, ſuperne inciſos, acuminatos, ſubtus fructificationibus aliquot ſubrotundis diſtinctis pulverulentis & maturitate ferrugineis onuſtos.

CCCXXV.

POLYPODIUM FRAXINIFOLIUM.

Creſcit ad Caraccas. In caldariis noſtris floret Januario & ſubſequis. Radix teres, calamum & ultra craſſa, nigricans, ſerpens, mollis, paleacea, fibrillisque fuſcis in decurſu numeroſis jubata, plures promit frondes erectas, totas glabras. Stipes nitidus, teres, gracilis, nudus, firmus, nullo ſulco exaratus, viridis, exſtipulatus, ad pinnam terminalem usque plus minus pedalis. Frons ſimpliciter & vere pinnata ex foliolis utrinque circiter quinque cum terminante impari. Pinnæ ſeſſiles, longe lanceolatæ, acuminatæ, repandæ, undulatæ, utrinque læte virides, per venas transverſas lineatæ, intermediæ & terminalis reliquis longiores &

fere quadriunciales, oppoſitæ ſic ut pinnæ oppoſitæ infimæ parumper alternentur; oppoſitæ ſummæ latiore baſi ſtipiti accretæ; terminalis per ſtipitem productum petiolata, & inferne nonnunquam utrinque in auriculam rotundatam inciſa. Fructificationes dorſum pinnarum occupant, ſerie longitudinali quadruplici diſpoſitæ, ſubrotundæ, convexulæ, luteæ, conſtantes pulviſculo minuto.

CCCXXVI.

POLYPODIUM MOLLE.

Creſcit in rupeſtribus udis ad Caracas; in noſtris caldariis floret vario anni tempore, cum ſempervirens alias ſucceſſive frondes promit. Ex aggerie fibrarum radicalium nigricantium frondes elevantur plures, bipedales, erectiuſculæ, firmulæ. Stipes eſt teres, antice compreſſulus & ſulcatus, penna anſerina paulo gracilior, plus minus ſemipedalis infra pinnas, baſi fuſceſcens & paleaceus, hinc glabriuſculus, ad ipſas autem pinnas undique pubeſcens. Frons pinnata, elongate lanceolata. Pinnæ ſunt pinnatifidæ, anguſte & elongate oblongæ, acuminatæ, breviſſime petiolatæ, approximate alternantes, utrinque villoſæ & molles, pallide hinc ac veluti ex incano virentes, intermediæ longiores triunciales, utrinque hinc decreſcentes, inferne magis diſtantes, inferiores magis antrorſum protenſæ, & reclinatæ, reliquæ horizontales & diſtichæ. Pinnulæ ſive potius laciniæ ſunt oblongæ, obtuſæ, ſuperiora verſus ſucceſſive decreſcentes, planæ, integerrimæ exceptis infimis duabus in pinnis inferioribus, quæ crenulatæ ſunt. Fructificationes una longitudinali ſerie diſcum dorſale unicujusque laciniæ in utroque latere occupant, ſubrotundæ, parvæ, fuſcæ, & conſtar-

ſtantes ex globulis minutiſſimis, tectis in centro membranula villis albis erectis hirtula.

CCCXXVII.

CYPERUS DISTANS. *Linn. ſyſt. pag.* 98. *Rottb. deſcr. pag.* 37. *tab.* 10.

Creſcit ſponte ad Caraccas in America, in inſula Sanctæ Crucis, & in Malabaria. Colitur in caldariis noſtris, totam æſtatem culmis florigeris fructigerisque inſtructus. Radix perennis conſtat ex fibris ſordentibus numeroſis, culmosque emittit plures, duos tresve pedes altos, triquetros, erectos, virides, nitidos, fere ad medium usque vaginis foliorum veſtitos. Folia ſunt linearia, acuta, carinata, glabra, ad oras retrorſum ſcabra, inferne vaginantia, longiora culmum æquantia. Umbella terminalis, ampla, ſupradecompoſita, patens. Involucri univerſalis foliola plura, foliis ſimilia, inferiora longiſſima ſeſquipedalia, reliqua ſucceſſive breviora, breviſſimum vix triunciale. Involucellorum foliola plus minus octo, patentiſſima, longiora biuncialia. Radii umbellæ univerſalis plus minus duodecim, compreſſi, longitudine valde diverſi, alii ſemipedales, alii unciales. Umbellæ partialis radii plus minus decem, longitudine involucelli, exteriores patentiſſimi; quos inter in noſtris individuis raro unus alterve terminatur in aliam pauperrimam umbellulam, ex radiis ut plurimum ternis atque involucellis diphyllis. Bracteola ſingulis ſpiculis ſubjicitur minuta. Spiculæ ſunt lanceolato-lineares, acutæ, graciles, compreſſulæ, ſubſeſſiles, fere unciales, alternatim ſparſæ, horizontaliter patentes cum terminali erecta. Flores utrinque a quatuor ad ſeptem; ſquamis diſtiche imbricatis,

compreſſo - concavis, dorſo virentibus, cæterum pallentibus cum faſcia media longitudinali purpuraſcente, in flore contiguis, in fructu ob elongatam rhachidem diſtantibus. Corolla nulla. Filamenta tria, longitudine calycis. Antheræ lineares, erectæ.

CCCXXVIII.

CYPERUS TENUIFLORUS. *Rottb. deſcr. pag.* 30. *tab.* 14. *fig.* 1.

Hoc gramen, cujus patriam ignoro, & quod in hortis noſtris ſub dio colitur, Auguſto & Septembri florens, filio meo afferente, pluribus in locis ſub titulo Cyperi longi occurrit, ſub quo etiam miſſum ante plures annos ex horto Schwenkeniano Hagenſi ad nos fuit. At vero, ut optime jam notavit illuſtris Rottbollius, Cyperus eſſe longus nequit, quare tenuiflori nomen impoſuit. Radix perennis, grate odorata, ſapore valens balſamico & ſubacri, foris nigra, intus albida aut annoſior rufeſcens, ſubarticulata, nodoſa, dura, obliqua, calamum & ultra craſſa, denſe & ceſpitoſe ramoſa, fibrisque pluribus jubata, multos annuatim culmos ceſpitoſe producit, baſi bulboſulos, nudos, glabros, triquetros, erectos, ſeſquipedales aut altiores. Folia radicalia plura, linearia, acuta, ſtriatula, nitida, carinata, ad digitum retrorſum motum ad oras & carinæ aciem ſcabriuſcula, inferne vaginantia, longitudine plus minus culmi. Involucri foliola a tribus ad quinque, valde inæqualia, foliis ſimillima, quorum longiſſimum pedale vel nonnunquam ſeſquipedale eſt, breviſſimum dumtaxat unciale. Radii fere numero foliolorum involucri, teretes, ſtriatuli, graciles, glabri, longitudine inæquales, raro plus quam biunciales, alii ſimpliciſſimi, alii ramoſi & ſub diviſionibus foliolo parvo ſuffulti. Spiculæ

ap-

approximatæ, ſeſſiles, alternæ, obtuſæ, compreſſulæ, ſemunciam longæ, lineam latæ. Squamæ utrinque circiter octo, diſtichæ, ruſæ cum dorſo virente, glabræ. Antheræ lineares, longæ, erectæ, flavæ. Germen glabrum. Stylus brevis. Stigmata tria, capillaria, longiſſima, alba.

CCCXXIX.

CYPERUS LONGUS. *Linn. ſyſt. pag.* 96.

Cyperus odoratus, radice longa, ceu Cyperus officinarum. *Bauh. pin. pag.* 14. *Scheuchz. gram. pag.* 378. *tab.* 8. *fig.* 12. *Moriſ. hiſt.* 3. *pag.* 237. *ſ.* 8. *tab.* 11. *fig.* 13.

Cyperus longus odoratus. *Bauh. theatr. pag.* 216.

Cyperus panicula ſparſa ſpecioſa. *Bauh. hiſt.* 2. *pag.* 501.

In Europa calidiore ſponte creſcit; etiam in Auſtria ad Thermas Badenſes, copioſe ad rivulos balnei ſancti Peregrini; ubi ab incolis radix effoditur, exſiccatur, inque uſum medicum domeſticum trahitur, nota ſub titulo *wilder Kalmus* ſive Calami aromatici ſylveſtris. Floret ibidem a Julio ad finem Septembris. Radix perennis, repens, valde ramoſa, calamum vel & digitum minimum craſſa, nodoſa, foris nigra, intus pallida cum medulla paulo obſcuriore, fibris nigris jubata, odorata, ſapore prædita aromatico ſubadſtringente & grato. Culmi plures, a duobus ad tres pedes alti, calamum & inferne digitum craſſi, triquetri, triſulcati, acutanguli, nitidi, virides, erecti, interne albidi & medulloſi, inferne vaginis foliorum incluſi, baſi tunicis fuſcis veſtiti. Folia ſunt pauca, linearia, acuta, nitida, longiora bipedalia, in oris ad digitum retrorſum ductum

ſca-

ſcabra, tantiſper etiam ſic ſcabra ad nervum medium poſticum carinatum & ad duas in facie aſſurgentes plicas. Umbella terminalis, erectiuſcula, compoſita. Involucri univerſalis foliola plura, foliis ſimilia, quorum tria longiora ſunt, atque horum longiſſimum ſeſquipedale, reliqua breviſſima. Involucellorum foliola pauciſſima & brevia. Umbellæ univerſalis radii plurimi, erectiuſculi, compreſſuli, glabri, alii ſemipedales, alii breviſſimi. Horum longiores ipſi umbellam gerunt ſimplicem; breviores tantummodo racemoſi ſunt, uti radii partiales priorum. Bracteæ quaternæ; exteriores duæ virentes, acutulæ, ſquamis infimis ſubjectæ; duæ interiores obtuſæ, colore ſquamarum, cum prioribus alternantes, hinc compreſſis ſpiculæ lateribus accumbentes. Inter ſpiculas & harum pedicellum communem tuberculum viride locatur. Spiculæ ſunt lanceolato - lineares, ſeſſiles, alternæ, valde approximatæ ad extremitates radiorum, ut nonnunquam videantur terminaliter aggregatæ, compreſſæ, glabræ, patulæ vel erectiuſculæ, utrinque plus minus octofloræ, novemlineares. Squamæ denſe imbricatæ, pallidæ cum dorſo virente & faſcia longitudinali media in utroque latere purpurea. Antheræ lineares, erectæ, flavæ.

CCCXXX.

MORÆA PALMIFOLIA. *Thunb. diſſ. pag.* 4.

Siſyrinchium palmifolium. *Linn. ſyſt. pag.* 840. *Linn. mant. pag.* 122.
Siſyrinchium americanum, radice phœnicea, foliis plicatis & nervoſis, flore albo. *Magnol. hort. pag.* 185.
Bermudiana palmæ folio, radice bulboſa. *Plum. ic. pag.* 35. *tab.* 46. *fig.* 2.

Cre-

Creſcit in inſulis Caribæis. Apud nos in caldariis floret Junio & Julio. Bulbus ovatus tunicis ſanguineis veſtitur, fibrisque craſſis fuſiformibus carnoſis albisque radicatur. Folia pedalia & ultra, enſiformia, acuta, glabra, integerrima, nervoſa, plicata, erecta, baſi in vaginam abeunt, qua mutuo amplectuntur, ſic caulem mentita compreſſum. Scapus gracilis, teretiuſculus, fere longitudine foliorum, nudus, erectiuſculus; ſuperne racemoſus ex pedunculis ſecundis, erectis, plus minus uncialibus, apice terminatis in capitulum oblongum, ex ſpathis virentibus obtuſis pluribus mutuoque amplexantibus compoſitum. Spathæ ad pedunculos communes lanceolatæ, acutæ, concavæ. Spathis capituli, quarum interiores ſcarioſæ ſunt, interjiciuntur pedicelli proprii filiformes, albi, longitudine ſpatharum, uniflori, omnino circiter duodeni. Flores inodori mutuo ſuccedunt, unicus ſemper in quolibet capitulo, circa veſperam expanſi, & brevi marceſcentes. Petala nivea ſunt. Antheræ luteæ. Filamento nullo reſpectu connata.

CAL. Spathæ in capitulum oblongum collectæ.

COR. Petala ſupera, ſex, obverſe ovata, acutula, patentiſſima, plana, alterna paulo anguſtiora.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, patula, petalis multo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen inferum, obverſe ovatum, trigonum. Stylus filiformis, erectus, fere longitudine filamentorum. Stigma trifidum; laciniis ſubulatis, patulis, longitudine ſtyli.

PER. . . .

SEM. . . .

CCCXXXI.

MORÆA VIRGATA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, diſtinctiſſima a Moræa flexuoſa caule ſemper ramoſo, & pedunculis perpetuo ſolitariis, nec unquam aggregatis. Placuit Linnæo filio, Ixiam meam longifoliam, mutato utroque nomine, in Supplemento ſuo appellare Moræam flexuoſam, quantumvis hæc planta corollam habeat vere monopetalam, tubo gracili donatam, qua ſola nota tanquam charactere eſſentiali differre ſecundum Syſtema Linnæi Ixia a Moræa deberet. Dum nunc etiam alibi lego, ex corolla marceſcente ſpiraliter convoluta Moræas dignoſci poſſe; ut ergo tacito conſenſu ipſa illa characterum eſſentialium diverſitas nullius eſſe valoris judicetur; ego ex hac obſervatione hanc plantam Moræam dixi. Bulbus ſubrotundus, parvus, tunica reticulata fuſca tectus. Caulis ſeſquipedalis, teres, inferne flexuoſus, erectus, viridis, gracilis; ramis alternis, virgatis, firmis, patulis. Folia alterna, linearia, baſi vaginantia, pauca, plana, ſtriatula, anguſtiſſima, flaccida, longiora duos cum dimidio pedes longa, in planta florente jam arida & convoluta. Spathæ ſæpe quadrivalves, convolutæ, acuminatæ, pallidæ; extima valva ſcarioſa major & amplexicaulis. Flores inodori, breviſſime pedunculati, ſolitarii ex ſpathis, nec aggregati, ſed ſucceſſive ex caule & ramis ſine ullo ordine prodeuntes. Corolla monopetala, ſupera. Tubus infundibuliformis, pallidus. Limbi ſexpartiti laciniæ lanceolato-oblongæ, obtuſæ, planæ, patentiſſimæ, tubo triplo longiores, luteæ cum faſcia longitudinali media vireſcente, idque in facie obſoletius, marceſcendo in ſpiram unam omnes ſeſe contorquentes. Filamenta tria, erectiuſcula, brevia, flava, limbo corollæ inſerta. Antheræ

li-

lineares, inflexæ, luteæ. Germen lineare, teres, glabrum, longum, pallens. Stylus filiformis, longitudine tubi corollæ. Stigmatis ſexfidi laciniæ filiformes, in ſtellam expanſæ, obtuſæ, capitatæ. Capſula. . . .

CCCXXXII.

RESEDA FRUTICULOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 448.

Hiſpania patria eſt. Radix ramoſa, ætate pollicem & ultra craſſa, atque extra terram prominens, caulis ſuffruticuloſi vices gerit, ex quo plures annuatim caules attolluntur herbacei, erecti vel adſcendentes, ſeſquipedales, parum ramoſi, teretes, & ad lentem villoſuli. Folia ſunt alterna, etiam ad lentem villoſula, duas tresve uncias longa, pinnata; pinnis oppoſitis alternisve, oblongis, auctis, integerrimis, decurſivis; extima majore & lanceolata. Racemi terminales, erecti, tandem ſemipedales. Pedicelli proprii breves. Bracteæ lineares, acutæ, albæ, pedicellis paulo longiores. Flores leviter odorati. Petala alba.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis oblongis, obtuſulis, concavis, patentiſſimis, corolla brevioribus.

COR. Petala quinque, patula, ex cuneiformi baſi tandem lateſcentia, ſemitrifida; lobis oblongis, obtuſis.

Nectarii glandula quadrata, erecta, inter petala duo ſuperiora.

STAM. Filamenta ut plurimum undecim, ſubulata, patentia, longitudine calycis. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen oblongum, tetragonum. Styli quatuor, craſſi, patuli. Stigmata ſimplicia, acuta.

PER. Capſula oblonga, tetragona, rugoſa, unilocularis, ſuperne perforata, ſtylis coronata.
SEM. numeroſa, parva.

CCCXXXIII.

ACALYPHA ALOPECUROIDEA.

Sponte creſcit in Venezuela; in noſtris caldariis floret a Julio ad Octobrim. Ex radice fibroſa ramoſa & annua caulis attollitur erectus, ſeſquipedalis aut altior, totus ramoſus, hirſutus, inferne teres calamoque craſſior, ſuperne obſoletius angulatus. Rami adſcendentes, tandem longi. Folia ſunt alterna, petiolata, cordato - ovata, acuta, ſerrata, rugoſula, utrinque hirſuta, majora triuncialia cum petiolis hirſutis biuncialibus. Spicæ maſculæ valde graciles, tandem vix unciales, ſtricte patentiſſimæ, multifloræ, ad petiolos & ramos per totam plantam laterales, ſolitariæ. Flores in his ſeſſiles, pallidi, ſic minutiſſimi, ut magnitudine punctum æquent. Spicæ fœmineæ in eadem planta terminales, ſolitariæ, erectæ, cylindricæ, fere biunciales, digitum craſſæ, pedicellatæ, ex apicis centro nonnunquam emittentes pedunculum erectum, filiformem, terminatum corpuſculo obverſe ovato hirſuto obtuſo & horizontali unico, duobus vel tribus. Flores in his numeroſi, minuti, virentes; ſinguli ſuffulti involucro ſetoſo, tripartito, concavo, viridi, laciniis ovatis in ſetam ſetoſam longamque terminatis. Non potui obſervare filamenta connata.

Maſ.

Maſ.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis ovatis, acutis, concavis, patentiſſimis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta plus minus ſex, filiformia, erecta, longitudine calycis. Antheræ diviſæ, fimbriatæ.

Fœmina.

CAL. Perianthium perſiſtens, triphyllum: foliolis ovatis, acutis, erectis.

COR. nulla.

PIST. Germen triquetrum, longitudine calycis. Styli tres, capillares, erecti, longi, ſimpliciſſimi. Stigmata acuta, ſimplicia.

PER. Capſula tricocca, glabra, pallens.

SEM. ſolitaria, ovata, glabra, acuta, fuſca.

CCCXXXIV.

GRONOVIA SCANDENS. *Linn. ſyſt. pag.* 243.

Gronovia ſcandens, lappacea, pampinea fronde, Houſtounis. *Mart. cent.* 1. *pag.* 18. *tab.* 38.

Creſcit in Vera Cruce & in Venezuela, inter frutices ſcandens, non volubilis, ſed ramis ſuis longiſſimis, recta inter illos quaquaverſum protenſis, & ob hiſpiditatem hamoſam ubique firmiter affixis, debiliſſima ſe ſuſtinet. Tota ſic hiſpida eſt, & urens. In caldariis noſtris floret a Junio ad Octobrim. Radix annua, ex fibris craſſulis ſemipedalibus & albicantibus compoſita. Caulis ramoſiſſimus, calamo gracilior, teres, duode-

cimpedalis. Folia ſunt alterna, remota, petiolata, utrinque ſcabra & hirtula, triloba vel obſcure quinqueloba, inciſa, acuta, venoſa, ad ortum ſinuata, plana, nec rugoſa fereque bullata ut in icone Martyni; petiolis hiſpidis. Pedunculi communes oppoſitifolii, ſolitarii, adſcendentes, teretes, craſſuli, hiſpidi, petiolis fere longiores, ſuperne trifidi. Flores inodori, ſeſſiles, erecti, unus in trichotomia, reliqui ſecundi in pedunculis partialibus patulis & indiviſis vel rarius bifidis cum flore intermedio. Bracteæ ad ſingulos flores gemellæ, ſetaceæ, hiſpidæ, virides; ſed ad flores centrales nullæ. Calyx ex ſulphureo flavet, utrinque & ad oras hirtus. Petala ſunt fulva & villoſa. Filamenta alba & villoſa. Antheræ flaveſcunt. Germen hiſpidum viret. Stylus albet. Bacca rugoſula fuſceſcit. Semen albet.

CAL. Perianthium ſuperum, coloratum, perſiſtens, campanulatum, quinquepartitum; laciniis lanceolatis, acutulis, patulis.

COR. Petala quinque, anguſte cuneiformia, acutula, calyce duplo breviora, cum filamentis in conum erecta.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, petalis paulo longiora, cumque iisdem alternantia. Antheræ didymæ, incumbentes.

PIST. Germen inferum, pentagonum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma capitatum, depreſſum.

PER. Bacca pentagona, quinquealata, ſicca, calyce marcido coronata, unilocularis.

SEM. unicum, ovatum.

CCCXXXV.

SPERMACOCE HIRTA. *Linn. ſyſt. pag.* 148.

Spermacoce erecta, ſubhirſuta; foliis oblongis, venis arcuatis refertis, ſuperioribus majoribus appropinquatis; floribus conſtipatis ad alas. *Brown. jam. pag.* 141. *num.* 3.

Sponte creſcit in Jamaica & Venezuela; apud nos in caldariis floret totam æſtatem. Caulis herbaceus, acute tetragonus, ramoſus, erectus, pedalis, atque hirtulus eſt. Folia ſunt oppoſita, ſubſeſſilia, lanceolata, acuta, integerrima, utrinque & ad oras per lentem hirtula, ſeſcuncialia, venis adſcendentibus notata, baſi utrinque connata ope membranæ latæ hirtæ & ad oras ſetoſe ciliatæ. Folia ſumma videntur, & dici etiam poſſunt, ſtellata quaterna cum oppoſitis duobus minoribus; ſed brevi ex centro ſtellæ alia duo oppoſita foliola prodeunt, quæ cito augentur, una cum prioribus duobus foliis minoribus per caulem elongatum attolluntur, ſtellata evadunt ipſa, atque nunc a majoribus ſtellæ prioris diſtant; ipſa iterum ſic dein ſeparanda per folia futura, dum caulis ramique ita elongari pergunt. Flores numeroſi, ſeſſiles, ad folia verticillati. Calyx viret. Corolla albet. Antheræ flavent.

CAL. Perianthium ſuperum, tetraphyllum; foliolis duobus oppoſitis concavis, acutis, erectis, ciliatis, longitudine petali; aliis duobus acuminatis, longius ciliatis, omnium minimis.

COR. monopetala, infundibuliformis, ſubhirtula, ſupra medium quadrifida: laciniis ſemiovatis, acutis, patulis.

STAM.

STAM. Filamenta quatuor, tubo corollæ breviora. Antheræ erectæ.
PIST. Germen inferum, hirtulum. Stylus filiformis, denticulatus, erectus, petalo brevior. Stigma bifidum: laciniis linearibus, obtusulis, supra villosis.
PER. & SEM. . . .

CCCXXXVI.

DORSTENIA CONTRAJERVA. *Linn. syst. pag.* 163.

Dorstenia sphondylii folio, dentariæ radice. *Plum. ic. pag.* 109. *tab.* 119.

Vidi sponte crescentem in sylvis umbrosis montosisque milliari distantibus a Lamentin in Martinica. Crescit etiam ad Caraca in Continente vicina. In caldariis nostris floret fere totum annum, dum folia nova floresque mutuo sine ulla intercapedine succedunt. Ex seminibus, quæ nescio qua vi elastica ex capsulis procul disjiciuntur, in ollis vicinis numerosæ plantulæ ultro enascuntur, quinto ætatis mense jam flores productura. Hinc ut semina colligantur, tota receptacula linteolo ligato includi possunt, simul atque prima semina prodeunt, cæteroquin omnia perditum itura. Radix oblonga, digitum crassa, ex flavo fuscescens, prolifera, dentata, acris, aromatica, fibris stipata. Caulis teres, ab una ad tres uncias longus, digitum crassus, erectus, fuscus, squamis squarrulosis asper, oritur veluti ex ipsa radice supra terram paulatim elongata; ut in prima ætate nullus sit. In hujus superiore parte emittuntur frondose & dense cum petioli, tum pedunculi; stipulis ovatis acutisque suffulti. Petioli sunt terete, pallide virentes, asperi, erecti, tres quatuorve uncias longi. Ipsa fo-

folia cordata, acuta, venoſa, utrinque ſcabra, facie atrovirentia, denticulata, baſi per petiolum decurrentia, a tribus ad ſex uncias longa, inodora, ſapore prædita urente; alia in eadem planta fere indiviſa, alia repanda, aut panduræformia, aut lobata, aut fere pinnatifida cum lobis oblongis. Pedunculi teretes, ſcabri, plerumque petiolis longiores, apice terminantur & expanduntur in receptaculum commune virens, ſubtus ſcabrum & convexulum, ſupra planum & tuberculatum, quadratum, margine repandum & plus minus criſpatum, unciale aut longius, horizontale, intus album & ſpongioſum, tres ciniter lineas craſſum, maturum ſordide flaveſcens. Antheræ pallidæ. Piſtillum album. Capſula alba. Semen cineraſcens.

CAL. Receptaculum commune expanſum, fungoſa ſua ſubſtantia cellulis oblongis numeroſis refertum; quæ omnes ſuperne teguntur una communi continuaque pellicula, elevata in ſuperficie ſua in totidem tubercula convexa, quot ſunt cellulæ, quarum fornices formant.

Proprius nullus.

COR. nulla.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ geminæ, oblongæ, decumbentes, in vertice tuberculorum maſculinorum; in fœmineorum vertice nullæ.

PIST. Germen in qualibet cellula fœminea ſolitarium, ſubrotundum vel ovatum, ſolam baſin cellulæ implens, breviter pedicellatum. In cellulis maſculinis nullum. Stylus capillaris, ſemibifidus, erectus, pertingens usque ad fornicem tuberculi ſui, perſiſtens. Stigmata ſimplicia.

PER. Capſula oblonga vel ovata, unilocularis, bivalvis.

SEM. unicum, compreſſum, rotundato - trigonum, rugoſum.

Fructificatio singulariſſima, quæ non minus deſcribitur difficulter, quam eruitur, & cui etiam locus adſignari ſuus in Syſtemate Linnæano a nemine facile poterit; nam pellicula illa multifornicata ſuperficialis receptaculi una eſt, continua, & æque maribus quam fœminis communis. Cellulæ maſculinæ inanes ſunt, atque ab increſcentibus auctisque germinibus cellularum fœminearum adjacentium comprimuntur, tandemque oblite-rantur. Styli fœminarum videntur quidem mihi pertingere ad fornices usque, ſed non eſſe cum his concretæ; ut itaque fæcundanti antherarum auræ per fornicis fœminei ſubſtantiam via pateat ad ſtigmata. Vidi nonnunquam germina didyma cum ſtylo communi ſemiquadrifido. Quandoque germina elongantur in formam oblongam, tuncque ut plurimum abortant. Capſula eſt tenuiſſima & membranacea, in aucto & dilatato ſemine brevi diſcedit (non rumpitur) in duas valvulas naviculares, ſeminis latera amplectantes, quarum una ſtylum perſiſtentem gerit. Hoc tunc videtur flaveſcens & glabrum, evadit autem dein cinereum rugoſumque. Dum ſemina matura ſunt, rumpuntur fornices fœminei, lacerantur & marceſcunt, ut illa, capſulis adhucdum ſuis adhærentia, ultra ſuperficiem receptaculi adſcendere valeant. Sic etiam adſcendunt capſulæ illæ oblongæ & ſteriles. Brevi dein ſemina a receptaculo disjiciuntur, idque tanta ſæpe vi, ut totum inde receptaculum in motum oſcillatorium ducatur, etiam cum obſervando ſtrepitu. Sic fruſtratum me vidi, dum manu carpere a receptaculo ſemina volebam, ad tactum auſugientia. Aliæ Capſulæ fere totæ quantæ ſecedunt, ſeminisque magnitudinem habent; aliæ ſuperne tantum ſecedentes, atque hic ſemen amplectantes, inferne in ſaccum inanem producuntur.

CCCXXXVII.

CCCXXXVII.

CRESCENTIA PINNATA. *Tab.* 18.

Propono hic plantam dubiam, ſane ſpecioſiſſimam, arborem vaſtam, quæ ſponte creſcit in Mozambique, vocaturque ab incolis Kigelikeia. Indè in inſulam Franciæ ſive Mauritii transportata fuit, atque hinc tandem una ante duos annos in hortum Cæſareum Schönbrunnenſem migravit. Hæc truncum diametri quadriuncialis habet, erectum, ſeptem altum pedes, hic propter vecturam faciliorem abſciſſum, cortice cinereo & æquabili veſtitum, & jam ramis aliquot onuſtum. Folia ſunt alterna, pinnata cum impari. Coſta teres, glabra, pedalis & ultra. Foliola utrinque quatuor, oblonga, obtuſa cum acumine, rariter & acuminate ſerrata, undulata, coriacea, rigidula, dorſo venoſa, glabra quidem, ſed ſubtus tamen ad tactum rudiuſcula, ſupra vero mollia, breviſſime petiolata, baſi interiore paulo breviora, inferiora oppoſita ſubalternantia, ſumma fere ſemipedalia, inferiora decreſcentia; ſupremi imparis petiolo unciali. Nunc addam, quæ ex narratione hortulani autoptæ, qui attulit, accepi. Flores truncum ramosque ſeniores occupant. Horum ſtructura; qualis viſitur in tabulæ citatæ figuris, in inſula Mauritii ad vivos depictis, ſequens eſt. Perianthium ſubbilabiatum, ad unam tertiam quinquefidum in lacinias ſemiovatas & acutas, pallide viret cum oris rubentibus. Corolla ampliſſima, foris nervoſa & pallens cum ſuffuſa rubedine, intus ſaturate rubra; limbo quinquefido, acuto, patente. Stamina quinque, quorum quatuor didynama, quintum breviſſimum; uti in Creſcentia. Filamenta baſi hirſuta. Germen teres, glandulis quinque ſuffultum. Stigma bilamellatum, lanceolatum. Simul attulit ille fructum integrum, quam videre mihi haud conti-

git, mox neſcio quo modo deperditum. Eſt hic bacca, capitis magnitudine, pulpa repletum, in qua nidulantur ſemina, Creſcentiæ æmula.

CCCXXXVIII.

HAMELLIA CHRYSANTHA. *Swarz. prodr. pag.* 46.

Periclymenum arboreſcens, ramulis inflexis, flore luteo. *Plum. ic. tab.* 218. *fig.* 1.

Campanula minor fruteſcens; foliis ovatis, oppoſitis, ſtipulis acutis interpoſitis; capſulis quinquelocularibus. *Brown. jam. pag.* 166. *tab.* 14. *fig.* 1.

In ſylvis umbroſisque ad Caracas creſcit; in caldariis noſtratibus floret totam æſtatem, primosque fructus Octobri perficit. Frutex quadripedalis, erectus, ramoſus, glaber; trunco cinereo & tereti; ramis junioribus compreſſis. Folia ſunt oppoſita, lanceolata, utrinque acuta, petiolata, integerrima, tres quatuorve uncias longa; petiolis & nervo medio utrinque purpuraſcentibus. Racemi terminales, erecti, ſubgemelli, foliis breviores, dichotomi. Flores inodori, breviſſime pedicellati. Calyx ſubpurpuraſcit. Corolla eſt lutea. Filamenta, ſtylus & ſtigma flaveſcunt. Germen viret. Antheræ e fuſco flavent. Bacca atra & piſi majoris magnitudine pulpam continet ſubdulcem, ſordide purpuraſcentem, tingentem colore cæruleo; in qua loculamenta quidem invenio, centrum baccæ occupantia, ſed non diſſepimenta illa membranacea, quæ vidi in aliis Hamelliis.

CAL.

CAL. Perianthium ſuperum, ſubcoloratum, quinquepartitum, parvum, perſiſtens: laciniis lanceolatis, acutis, ſemireflexis, duabus longioribus.

COR. monopetala, tubuloſa. Tubus anguſtiſſimus, vix calyce longior. Faux campanulata, ampla, tubo triplo longior. Limbi quinquefidi laciniæ parvæ, ſemiovatæ, acutulæ, patentiſſimæ.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, erecta, orta ex tubo corollæ, breviſſima. Antheræ lineares, erectæ, longæ, fauce corollæ paulo breviores.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum cum apice intra calycem conico. Stylus filiformis, erectus. Stigma clavatum, obtuſum, longitudine ſtaminum.

PER. Bacca ovato - ſubrotunda, coronata calyce, nitida, apice intra calycem tantisper protuberante, quinquelocularis.

SEM. plurima, minuta, orbiculata, compreſſa, unica ſerie longitudinali in quolibet loculamento diſpoſita.

CCCXXXIX.

OENOTHERA NOCTURNA.

Creſcit ad promontorium bonæ Spei; apud nos a Julio ad Septembrim floret ſub dio, dein in caldariis florere pergit ad usque medium Novembrim, quando folia decidunt, ramique marceſcunt; caulis vero pars inſima duravit ad Januarium usque, digitum tunc craſſus, cinereus, & adſpectu ſuffruticoſus; periit tamen, ut apud nos planta annua ſit. Radix ramoſa. Caulis bipedalis, erectus, teres, molliuſculus, ſubvilloſus, vel

ab ipſa baſi tandem ramoſus. Folia ſunt alterna, breviſſime petiolata, elongate lanceolata, acuta, dentato - ſerrata, ſubvilloſa, pallide virentia, longiora quadriuncialia. Flores axillares, ſeſſiles, ſolitarii. Germen teres, quadriſulcatum, villoſulum, vireſcens. Calyx villoſulus ex viridi pallet. Petala ſunt rotundata, ampla & lutea; quæ cum toto calyce marceſcendo evadunt coccinea. Flores expanduntur ſub veſperam, ſubſequo matutino tempore flacceſcentes. Filamenta rubent. Antheræ flavent. Capſula uncialis, villoſa, apice octodentata, quadrivalvis. Semina minuta.

CCCXL.

MORUS MAURITIANA.

Ex inſula Mauritii ſive Franciæ fuit advecta arbor trunco brachium craſſo, cortice cinereo, in patria molis vaſtæ, dioica. Rami juniores ſunt ſubteretes, virides, una alterave ſtria notati, punctis ſcabri. Folia ſunt lanceolato - oblonga, acuta, integerrima, parum undulata, breviter petiolata, alterna, craſſula, utrinque ſcabra, plus minus quadriuncialia, facie nigrovirentia lucidaque, ſubtus pallide viridia & venoſa. Stipulæ parvæ, lanceolatæ, acuminatæ. Pedunculi in maribus axillares, ſolitarii, craſſuli, breviſſimi. Amenta fere ſeſcuncialia, cylindrica, calamo craſſiora. Calycis tetraphyili foliola oblonga, obtuſa, concavo - conniventia, patula, viridia. Filamenta quatuor, ſubulata, alba, ſingula calycis foliolo comprehenſa, ultra hoc longiora recurvata. Antheræ ochroleucæ, ſubdidymæ. Germen tetragonum. Stylus & ſtigma nulla. In fœminea arbore pedunculi ſunt axillares, ſolitarii, breves. Amenta uncialia,

lia, erecta, virentia. Calycis tetraphylli foliola ſubrotunda, obtuſa, concava; quorum interiora duo oppoſita totum germen occultant; exteriora oppoſita multo minora interioribus accumbunt. Styli duo, ſubulati, albi, patuli. Stigmata ſimplicia. Fructus ad maturitatem non pervenerunt, quum deciderant jam omnes, antequam in individuis maribus flores apparuerant.

CCCXLI.

VOLKAMERIA KÆMPFERI. *Kæmpf. ic.*

Ex inſula Mauritii in Hortum Schönbrunnenſem transvecta fuit; læteque ibidem florent diverſæ individuæ per totam æſtatem & autumnum, ſed pauciſſimos fructus perficiunt; inter ſpecioſiſſimas ſtirpes merito numerandæ. Radix ramoſa, longa, princeps unciam diametro æquans, foris fuſceſcens, intus alba, fragilis, inſipida atque inodora uti tota planta. Truncus pollicem craſſus, teres, erectus, quinquepedalis, cortice veſtitus glabro & cinereo, modo ſimpliciſſimus, modo ſuperne parum ramoſus. Truncus junior ramique ſunt virides, obtuſe tetragoni, glabri, digitum minimum fere craſſi. Folia ſunt oppoſita, petiolata, cordata, acuta, obſoletiſſime denticulata ut fere integerrima, venoſa, utrinque villotula, patentiſſima; petiolo tereti, calamum craſſo, glabriuſculo, antice haud profunde ſulcato, ſemipedali & ultra; ipſa ſine hoc folia majora pedalia. Panicula terminalis, ſemipedalis vel & pedalis, erecta, floribus numeroſiſſimis ornata. Rhachis media princeps tetragona, glabra. Pedunculi teretes, partiales primarii oppoſiti, patentiſſimi, glabri, plus minus biunciales, & dein plerumque bis dichotomi; ultimis pedunculis racemoſis; pedicellis

lis propriis ſemuncialibus. Bracteæ ad omnes diviſiones adſunt lineares & ſuperne revolutæ. Flores una cum pedicellis, pedunculis communibus ultimis, bracteisque, toti ſunt unicolores & ſaturatiſſime coccineo - miniati. Fructus maturus nigreſcit. Calyx punctis albis elevatis glanduloſisque adſpergitur. Germen viret. Antheræ fuſceſcunt.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquepartitum, campanulatum, coloratum, perſiſtens: laciniis ovatis, acuminatis, concavis, apice conniventibus, foris ſulco longitudinali inſtructis intus protuberante, tubo coroilæ duplo latioribus.

COR. monopetala. Tubus cylindricus, calyce duplo longior, erectus. Limbus quinquepartitus, ſubæqualis, tubo paulo brevior; laciniis lineari - oblongis, obtuſulis, patentiſſimis, primo planis, dein obliquis, ad alterum latus reflexis, diſcedentibus maxime duabus ſuperioribus.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, petalo duplo longiora, ad latus corollæ hians poſita, ſuberecta aut reclinata; quorum duo reliquis pauxillo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ſubrotundum, obſolete quadriſulcatum. Stylus filiformis, ſtaminibus brevior. Stigma bifidum, patulum, acutum; laciniis ſubulatis, æqualibus.

PER. Bacca ſubrotunda, mollis, ex ſtructura germinis parumper jam aucti bilocularis, ſed dein obſoleſcentibus loculamentis unilocularis.

SEM. Nux ex natura germinis in utroque loculamento ſolitaria, bilocularis; ſed obſoleſcentibus reliquis, in fructu maturo Semen unicum, baſi concavum, ſuperne convexum, rugoſum.

Si

Si pro determinando hujus plantæ genere incurioſus expectaſſem fructus maturitatem, qui ſolus decidere Clerodendrum inter Volkameriamque de genere poterat, ſine ulla hæſitatione ad illud plantam meam reduxiſſem; ſed impatiens moræ, dum jam ex germinis examine certiorem me fieri poſſe ſuſpicabar, hoc inveniebam in duas partes ad vim leviſſimam perpendiculariter ſeparabile, quamlibet partem bilocularem, ſemen in unoquoque loculamento ſolitarium, verbo totam ſtructuram germinis Volkameriæ. Miram igitur mutationem ex germine ſubit fructus; nec ſeminis videtur ſitus fuiſſe in germine ille, qui nunc eſt in fructu. Anne idem contingit in Clerodendris?

CCCXLII.

PIPER CLUSIÆFOLIUM.

Creſcit in India occidentali; apud nos in caldariis floret totam æſtatem & autumnum. Totum glabrum eſt. Caulis perennans, calamo craſſior, ramoſus, pedalis, primum erectus, dein debilis & foliorum ramorumque pondere verſus terram depreſſus, & ex geniculis radicans, aut forte in loco natali arboribus vicinis accreſcens. Folia ſunt obverſe ovata, alterna, integerrima, obtuſa, nonnunquam emarginata, craſſa, ſubcarnoſa, obſolete venoſa, enervia, atrovirentia cum oris quandoque ſordide ſanguineis, breviſſime petiolata, baſi canaliculata cum nervo dorſali protuberante, plus minus quadriuncialia. Spadix terminalis, teres, erectus, viridis, quatuor uncias longus, calamo duplo gracilior, ſolitarius, pedunculo unciali purpuraſcente & ad baſin geniculato ſuffultus, ſæpe ad apicem revolutus. Calyx & corolla nulla. Antheræ duæ, oblongæ,

ſulcatæ, fuſcæ, ſeſſiles, oppoſitæ, ad radicem germinis. Germen viride, ovatum, deſinens in bracteolam acutam & erectam. Stigmata tria, oblonga, fuſca, hiſpidula, extus ſeſſilia ad baſin bracteolæ germinis, ſæpe ſic vicina & confluentia, ut unicum ſubrotundum vel duo dumtaxat videantur. Baccæ minutæ & monoſpermæ ex ſpadice eminent totæ.

CCCXLIII.

PIPER MAGNOLIÆFOLIUM.

Elegans planta in rupeſtribus apricis ad latera declivia viæ, quæ a Guaira ad Caracas ducit, creſcit; in caldariis noſtris ſempervirens floret fere per totum annum; tota glabra, ſaporis & trita ſaporis ingrati ſubterebinthinacei. Caulis fruticoſus, carnoſus, firmus, hic illic rubeſcens, paſſim minimis ſtriis rubris adſperſus, digitum craſſus, a foliis deciduis amplis cicatricibus albidis notatus, ramoſiſſimus, parum erigitur, hinc verſus terram reclinatur. Rami omnes cauli ſimiles, ſæpe proſtrati, apice adſcendentes. Folia ſunt a quatuor ad octo uncias longa, alterna, petiolata, obtuſa, nonnunquam emarginata, integerrima, latiſſime obverſe ovata, baſin verſus anguſtata, læte viridia, nitida, craſſa, coriacea, rigida, immaculata, juniora carnoſa; petiolis craſſis, plus minus uncialibus, dorſo teretibus, antice canaliculatis, denſe rubropunctatis. Pedunculi communes terminales, erecti, teretes, craſſi, inordinate ramoſi, ad ſingulas diviſiones muniti bractea lanceolata, acutula, convoluta, erecta, pallida, caduca, fere unciali. Pedicelli proprii fere unciales, erecti, teretes, inferne rubri, cæterum pallide virentes. Spadix a quatuor ad octo uncias longus, calamum fere craſſus, teres, erectus, viridis, ſæpe ornatus ad ortum verticil-

lo patente germinum ſubovatorum & in majus volumen monſtroſe excreſcentium. Flores ſpadicem denſiſſime occupant numeroſiſſimi, plerumque per ſeries circulares diſpoſiti, etiam ſine ordine ſparſi, in ſpadice nedum florente formantes meras bracteolas orbiculares, in florente locati ſinguli in areola elongate rhombea. Calyx & corolla deficiunt. Antheræ duæ, oppoſitæ ad baſin germinis, ex flavo fuſceſcentes, oblongæ, obtuſæ, ſulcatæ. Germen ovatum, in bracteam ſuperne excurrens ſemiovatam acutam erectamque, cujus baſi anticæ ſtigma inſidet ſuſcum & hirtulum.

CCCXXLIV.

PIPER BLANDUM.

Creſcit in anguſtiis montium vulgo la Quebrada de chacaito ad Caracas. In noſtris caldariis floret ab Aprili ad Decembrim. Ex radice perenni caules prodeunt plures, ſeſquipedales, ſuberecti, debiles, carnoſi, villoſi, calamo craſſiores, teretes, ſanguinei, apud nos partim hyemem ſuſtinentes, ſuperne flexuoſi & ramoſi, ramis alternis aut oppoſitis aut ternis. Folia ſunt lanceolata, petiolata, acuta, integerrima, craſſula, plana, obſolete trinervia, utrinque & ad oras villoſula, ſupra venoſula & atrovirentia, ſubtus fere avenia & pallidiſſime virentia cum oris ſanguineis, atque hæc in medio caule nervos ibidem etiam habent ſanguineos, longiora quadriuncialia, infima longe minora totaque ſubtus ſanguinea. Spicæ glabræ, filiformes, erectiuſculæ, virides, ab unica ad quatuor uncias longæ, ſuffultæ pedunculo tereti & villoſulo, axillares ſolitariæ, & terminales a duabus ad quatuor, nonnunquam etiam una alterave oppoſitifolia. Spadicem denſe obſident bracteæ ſive ſquamæ orbiculares & pallide viren-

tes; e quarum margine ſummo egrediuntur germina ovata, apice barbata, & infra barbam ſtigmate inſtructa villoſo & fuſco. Ad baſin germinis in utroque latere adſtat bracteola antherifera. Jam beato Solandro notum fuerat hoc Piper, quod blandum vocaverat, forte quod ferme inſipidum ſit.

CCCXLV.

PIPER STELLATUM. *Swartz. prodr. pag.* 16.

In Jamaica ſponte creſcit; in caldariis noſtris floret totam æſtatem; inodorum, ingratoque ſed pauco præditum ſapore. Ex radice perenni caules egrediuntur plures herbacei, teretes, carnoſi, pedales, calamum craſſi, ramoſi, fuberecti vel adſcendentes, debiles, geniculati, ſanguinei, ad lentem breviſſime villoſuli. Folia ſunt terna, breviter petiolata, acutula, integerrima, trinervia, parum venoſa, carnoſula, ſeſcuncialia, patentiſſima cum petiolis erectis, facie glabra nitidaque, dorſo ad lentem villoſula & inferiora quædam ibidem magis minusve ſanguinea. Spadices graciles, virides, duas tresve uncias longi, pedunculati, teretes, erecti, axillares ſolitarii, & terminales numero incerto plures. Hi denſe obſidentur ſquamis orbiculatis, convexulis, viridibus, ſeſſilibus, non contiguis; quarum a tergo ſuperne locantur germina ſolitaria, ſubrotunda, apice ſubbifida & duobus ut plurimum ſtigmatibus fuſcis coronata. Antheræ duæ, oppoſitæ, ad radicem germinis, primum pallidæ, dein fuſcæ.

CCCXLVI.

CCCXLVI.

HIBISCUS DOMINGENSIS.

Ketmia aculeata, flore ampliſſimo coccineo. *Plum. ic. tab.* 159. *fig.* 1.?

Creſcit in inſula Domingo; in caldariis noſtris florens ætate; fructus autem ad maturitatem nedum pervenit. Caulis arboreus, decempedalis, erectus, ramoſus, teres; ſenior lignoſus, cinereus, inermis, uncialis diametri; junior, uti & rami, armatus aculeis ſparſis, numeroſis, ex latiſſima baſi ſubulatis, rectiuſculis, flaveſcentibus, ad lentem præterea villoſus. Folia ſunt alterna, longe petiolata, glabriuſcula, ſerrulata, acuta, quinqueloba: lobis tribus mediis ovatis, extimis duobus ſæpe obſoletis. Petioli teretes, villoſuli, paucisque minutiſſimis aculeis inſtructi. Stipulæ ſetaceæ, minutæ, hirtæ, deciduæ. Pedunculi ſunt axillares, ſolitarii, uniflori, teretes, craſſi, villoſi, aſperiuſculi, patuli, plus minus ſeſcunciales. Flores ſpecioſi. Perianthium viride, baſi planum. Exterius ex foliolis circiter tredecim, ſublinearibus, acutis, hirtis. Interius campanulatum, exteriore fere duplo longius, hirtum, ſtriato-ſulcatum, ore quinquefido ex laciniis ſemiovatis erectis acutisque. Corolla tres uncias longa, campanulato-patens, violaceo-purpurea cum fundo atropurpureo, obtuſa, nervoſa. Antheræ purpureæ cum polline albido. Stigma peltatum, quinquefidum, carneum. Capſula ovata, hirta, quinquelocularis, polyſperma,

CCCXLVII.

EPIDENDRUM COCHLEATUM. *Linn. ſyſt. pag.* 819.

Helleborine cochleato flore. *Plum. ic. tab.* 185. *fig.* 2.

Viſcum caryophylloides, lilii albi foliis, floris labello brevi purpureo, cæteris petalis e luteo vireſcentibus. *Catesb. car.* 2. *pag.* 88. *tab.* 88.

Viſcum radice bulboſa minus, delphinii flore rubro ſpecioſo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 250. *tab.* 121. *fig.* 2.

Satyrium paraſiticum, foliis paucioribus, radicalibus; ſcapo ſimplici, ſubſquamoſo, ſpicato; nectariis adnatis. *Brown. hiſt. jam. pag.* 324.

Arboribus ſaxisque paraſitica innaſcitur in Jamaica, Domingo, inſulisque Bahamenſibus, ſpecioſa planta; in caldariis noſtris ex terra lætiſſime vegetat, & quotannis copioſe floret Januario & Februario. Radix perennis conſtat ex fibris teretibus, craſſis, & ſordide albentibus; quæ ceſpitoſe plures plantas producunt. In his adultis foliorum pars infima, quam caulem etiam dicere poſſes, eſt lanceolata, ancipiti-compreſſa, baſi veluti in petiolum anguſtata, carnoſa, nitidiſſima, æquabilis, viridis; ex qua oriuntur folia ſemper duo, oppoſita, ſeſſilia, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, firmula, viridia, dorſo medio leviter carinata, avenia, obſolete lineata, plus minus novem uncias longa, unam lata, erecto-patula. Spadix compreſſus, glaber, viridis, erectiuſculus, circiter longitudine foliorum, inter folia enatus, baſi ſpatha foliacea & amplexante veſtitus, cæterum nudus. Spathæ ad pedunculos lanceolatæ, acutæ, pedunculis fere breviores. Flores laxe racemoſi, inodori, patuli. Petala cum aliquo virore luteola ſunt. Nectarii labium inferius foris baſi viret,

cæ-

cæterum nigropurpureum eſt; intus totum eſt ſtriato - ſulcatum, antice flaveſcens, cæterum ſaturatiſſime purpureum. Ejusdem appendicula albet cum baſi flavente. Labium ſuperius pallet cum ſtriis atropurpureis, apice totum album. Filamenta, antheræ & cucullus ſaturatum colorem luteum habent. Stigmatis appendicula albet cum apicibus atropurpureis. Germen glabrum viret.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.
Perianthium nullum.

COR. Petala quinque, lineari - lanceolata, acuminata, tota in unam partem reflexa; quorum duo interiora paulo breviora tribus exterioribus.

Nectarii-labium inferius ſubrotundum, amplum, cucullatum, obtuſiſſimum cum parvo acumine, petalis oppoſitum, baſi, qua ſtylo accumbit, auctum duplicatura tridentata. Labium ſuperius tubuloſum, erectum, ſtylo accretum eundemque circumdans ſola excepta antica parte, quæ reſpondet duplicaturæ labii inferioris, ſupra ſtigma elevatum in tres denticulos ſolidos.

STAM. Filamenta quatuor, longitudine antherarum. Antheræ obverſe ovatæ, compreſſo - planæ, abſconditæ in cucullo quadriloculari & inſidenti oræ ſuperiori ſtigmatis.

PIST. Germen inferum, oblongum, teres, inferne anguſtatum. Stylus craſſus, erectus. Stigma infundibuliforme, ſuperne retro cucullum ſtaminiferum emittens appendiculam erectam & bi - vel tridentatam.

CCCXLVIII.

CCCXLVIII.

CLEOME SPINOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 605.

Tareriaya. *Marcgr. bráſ. libr.* 1. *cap.* 16.

In America torrida ſponte creſcit; apud nos in caldariis læte vegetat, & ſemina fert æſtate. Ex radice annua ramoſa & ſordide albente caulis attollitur duos tresve pedes altus, erectus, calamo gracilior, vix apud nos ramoſus, teres, folioſus, Stipulæ binæ, breviſſimæ, ſpineſcentes, patentiſſimæ vel recurvæ, pungentes, perſiſtentes. Folia ſunt alterna, longe petiolata, inferiora ſeptenata, ſuperiora quinata, ſumma nonnunquam ternata; foliolis longe lanceolatis, utrinque acutis, integerrimis, venoſis. Bracteæ ad pedicellos ovatæ, acutæ, integerrimæ, breviter petiolatæ, ſolitariæ. Racemus terminalis, erectus, tandem fere pedalis. Pedicelli unciales. Flores magni. Calycis tetraphylli foliola lanceolato-linearia, reflexa, acuta. Petala quatuor, oblonga, obtuſa, plana, omnia ſurſum verſa, donata unguibus longitudine calycis. Filamenta ſex, ſubulata, purpurea, petalis longiora, patula, ex receptaculo communi floris orta. Antheræ lineares, erectæ, vireſcentes, longæ. Germen oblongum, teres, pedicellatum, ſtaminibus paulo longius. Stylus breviſſimus. Stigma peltatum, ſubrotundum. Siliqua teres, toruloſa, plus minus triuncialis, gracilis, glabra. Semina plurima, nigra, ſubrotunda, compreſſa, plus minus cochleata.

CCCXLIX.

CCCXLIX.

ARUM HELLEBORIFOLIUM.

Creſcit ſponte in ſylvis ad Caracas. Apud nos in caldariis floret menſe Auguſto, ſed fructu hucusque caruit. Radix carnoſa, perennis, pollicem & ultra craſſa, foris nigra, fibris craſſis longis albidisque aucta, ſaporis eſt auſteri & acris. Folia radicalia plura, pedata uti Helleborus niger, digitata; foliolis lanceolato-oblongis, ſeſſilibus, acutis, integerrimis, venoſis, glabris, altero latere decurrentibus, nonnunquam obſolete repandis; maximo ſemipedali. Petiolus pedalis vel ſeſquipedalis, teres, erectus, purpuraſcens, inferne canaliculatus. Scapus plus minus pedalis, erectus, ſubangulatus, calamum craſſus, purpuraſcens. Variat etiam petiolis ſcapisque virentibus cum adſperſis punctis ſanguineis. Spatha monophylla, univalvis, plus minus quinqueuncialis, glabra, erecta, acuta; baſi viridis, ſubrotunda, convoluta, obſoletius angulata, carnoſula, inflata & uncialis fere diametri; hinc ex collo coarctato abiens in labium flaveſcens, concavum, conicum, longitudinaliter ſemiapertum; ſemper in omnibus noſtris individuis hujusce coloris. Spadix longitudine fere ſpathæ, qua comprehenſus, ſubcylindricus, acutus, teres, baſi craſſior & ad uncialem altitudinem denſe veſtitus germinibus obverſe ovatis, obtuſiſſimis, albidis, angulatis, coronatis ſtigmate peltato angulato ſeſſili nec barbato. Super his mox altius glandulæ denſe locantur oblongæ, depreſſæ, carnoſæ, craſſæ, ſordide albentes. Super his in attenuato ſpadice aliæ glandulæ oblongæ, niveæ, prioribus ſimiles, ſed paulo anguſtiores minusque craſſæ. Tandem iterum altius ad apicem usque denſiſſime ſpadicem obſident antheræ ſeſſiles, pallide ſulphureæ, tetragonæ, exploſo polline ob-

longæ; ex quibus pollen concatenatum egreditur pilorum ſub forma, brevi vel ad minimum attactum in pulverem ſolvendum. Nec corolla, nec perianthium, nec cirri ulli adſunt. Spadix ſupra germina marceſcens brevi hic ultro abſcedit caditque.

CCCL.

LINUM AFRICANUM. *Linn. ſyſt. pag.* 303. *Linn. mant. pag.* 360.

Linum africanum luteum, foliis conjugatis. *Boerh. lugd.* 1. *pag.* 284.

Ad Promontorium bonæ Spei ſponte creſcit; apud nos hyemem agit in tepidario, æſtatem ſub dio, florens Junio & Julio, ſemina perficiens Auguſto. Ex radice ramoſa digitumque craſſa caulis attollitur ſuffruticoſus, erectus, bipedalis & ultra, teres, fuſceſcens, inferne emittens ramos numeroſos, cauli ſimillimos. Folia ſunt anguſte lanceolata, acuta, ſeſſilia, integerrima, uncialia, patula, glabra, modo omnia alternatim ſparſa, modo ſola ſumma alterna cum reliquis oppoſitis. Pedunculi communes ex alis ſummorum foliorum erecti, nonnunquam valde approximati, ut umbellam mentiantur, ſubdichotomi, ad diviſiones foliis brevioribus ſuffulti, plus minus triunciales; pedicellis propriis brevibus. Calycis foliola ovata, acuta, ad oras per lentem cartilaginea & ſcabra. Petala flava, ungue luteo & inferne villoſulo. Stamina & ſtylus flavent. Capſula ſubrotunda, glabra, fuſca. Semina nitida, flaveſcentia.

CCCLI.

CCCLI.

HELIOPHILA INTEGRIFOLIA. *Linn. ſyſt. pag.* 598. *Burm. in Act. upſ. nov. vol.* 1. *pag.* 94. *tab.* 7.

Ex ſeminibus e Promontorio bonæ Spei adlatis, germinarunt plurimæ individuæ plantæ, ſibi ſimiles omnes, quas ad nullam Heliophilæ ſpeciem referre poteram, pertinere tamen ad Heliophilam integrifoliam Linnæi, ſcripſit mihi poſt communicatam iconem celeberrimus Thunbergius. Hanc igitur notabilem varietatem hic adumbro, in Iconibus ſtirpium rariorum figuram ejusdem daturus. Radix annua, albida, gracilis, plures uncias longa. Caulis teres, erectiuſculus, ſemipedalis; ramis axillaribus & adſcendentibus. Folia inferiora oppoſita, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, ſubſeſſilia, craſſula, indiviſa, patentiſſima, tres quatuorve uncias longa. Superiora alterna, breviora, & quædam ex his inæqualiter & minus magisve profunde acute inciſa. Racemus terminalis, ſimplex, laxus. Caulis, rami, pedunculi, foliorum dorſum & oræ rariter & tenuiſſime piloſa ſunt. Calycis tetraphylli foliola ſunt oblonga, obtuſa, valde concava, patentiſſima, hirſuta, petalis fere duplo breviora, flaveſcentia, decidua. Petala quatuor, obverſe ovata, obtuſa, plana, patentiſſima, ad unguem albida, cæterum ſaturate violaceo-cærulea. Filamenta erecta, petalis breviora. Antheræ flavæ, oblongæ, erectæ. Germen teres, lineare, glabrum. Stigma capitatum. Siliqua linearis, biuncialis, ſtaminei coloris, compreſſula, mucronata, ſtriata, ad ſemina toruloſa, biloculares, bivalvis. Semina oblonga vel ſubrotunda, plana, glabra, fuſceſcentia.

CCCLII.

PLUMBAGO ROSEA. *Linn. ſyſt. pag.* 199.

Plumbago zeylanica, folio ſplendente ocymaſtri, flore rubro. *Burm. theſ. zeyl. pag.* 195.
Radix veſicatoria. *Rumph. amb. vol.* 5. *pag.* 453. *tab.* 168.
Sclretti Codiveli. *Rheed. mal. vol.* 10. *pag.* 17. *tab.* 9.

Sponte creſcit in Malabaria, Zeylona & Amboina; apud nos quotannis floret ab Octobri ad Decembrim in caldariis, carens hyeme foliis. Radix acris, fuſca & craſſa fibras habet calamum craſſas, novasque plantulas ad latus proferentes. Caules plures, plus minus quadripedales, fruticoſi, erectiuſculi, teretes, calamum craſſi, glabri, ramoſi, geniculati. Folia ſunt alterna, breviter petiolata, oblongo - ovata, acuta, integerrima, utrinque glabra, quatuor vel quinque uncias longa; petiolo amplexicauli. Racemi terminales, erecti, ſemipedales, elegantes, nonnunquam ramulo aucti. Pedicelli uniflori, breviſſimi. Ad ſingulos hosce adſtant bracteæ tres, lanceolatæ, acutæ, calyce triplo breviores; quarum duæ laterales oppoſitæ, tertia exterior & inferior eſt. Calyx totus pilis capitatis obſitus una cum his rubeſcit. Corolla tota ſaturate rubet. Tubus calyce duplo longior & quinqueſulcatus ſuperiora verſus paulatim lateſcit. Lacinæ ſunt ad medium nervum carinatæ. Glandulæ in fundo corollæ quinque, minutæ, ovatæ, compreſſo - planæ, germen cingentes oblongo - ovatum & glabrum. Stylus albus, villoſus. Stigma quinquefidum; laciniis capillaribus, patentiſſimis & interne villoſis.

CCCLIII.

CCCLIII.

ARISTOLOCHIA BARBATA.

Creſcit ad fruticeta circa Caracas in America; in caldariis noſtris floret Septembri & Octobri. Caules ex eadem radice plures, fruticoſi, inferne lignoſi ſuberoſi digitumque craſſi, volubiles, ſuſci, ſexpedales. Rami numeroſi, teres; juniores graciles & virentes. Stipulæ nullæ. Folia ſunt alterna, petiolata, ſinu profundo & obtuſiſſimo cordata, acuta vel obtuſa, integerrima, ſupra ſature viridia, ſubtus pallidiſſime virentia venisque extantibus reticulata, firmula, a duabus ad tres uncias longa. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, longitudine circiter petiolorum. Flores biunciales. Germen teres, ſexſulcatum, glabrum. Tubi corollæ pars infima inflata, magna, ſubrotunda; hinc longe infundibuliformis cum limbo patentiſſimo, ex cujus ore inferiore porrigitur appendix obverſe ovata planaque. Tota corolla ſordide pallet cum maculis ferrugineis, percurſa foris ſtriis ſex elevatis & verſus oras reticulatis. Appendicis pars dimidia antica in facie ex violaceo atra eſt pilisque denſis barbata. Tota planta glabra eſt, ſaporis ingratiſſimi, & trita fœtida.

CCCLIV.

LOBELIA CORONOPIFOLIA. *Linn. ſyſt. pag.* 802. *Linn. mant. pag.* 483.

Rapuntium folio longo, profunde dentato, florum petiolis longiſſimis, *Burm. afr. pag* 98. *tab.* 38. *fig.* 1.

Rapuntium æthiopicum, cæruleo galeato flore, foliis coronopi. *Breyn. cent. pag.* 174. *tab.* 88.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret a Julio ad Novembrim. Ex radice nigricante, digitum craſſa ramisque aucta caules enaſcuntur plures, fruticuloſi, vix ſemipedales, ramoſi, teretes, hirſutuli, huc illuc protenſi, folioſi & ſempervirentes. Folia ſunt ſparſa, ſeſcuncialia, anguſte oblonga, acuta, ſcabriuſcula, piloſula, ſubſeſſilia, dentibus utrinque inciſa a tribus ad octo linearibus acutis patulis inæqualibus & diſtantibus. Pedunculi axillares, ſolitarii, teretes, glabri, erecti, plus minus octo uncias longi, ſubbiflori, infra flores bracteis minutis vagisque veſtiti. Flores erecti, unciales, inodori. Perianthium inferne germini circumnatum & villoſulum; laciniis lanceolato-linearibus, glabris, erectis, virentibus. Corollæ tubus pallidus, calyce duplo longior. Limbi cærulei laciniæ tres inferiores oblongæ, obtuſæ, maximæ, cum faucis duobus gibbis longitudinalibus elevatis flaveſcentibus. Filamenta pallide cærulea. Antheræ fuſcæ. Stylus viridis. Stigma trilobum, hirtum, ferrugineum.

CCCLV.

LEUCOJUM STRUMOSUM. *Ait. kew. vol.* 1. *pag.* 407. *tab.* 5.

Crinum tenellum. *Linn. ſyſt. pag.* 319. *Linn. ſuppl. pag.* 194.

Sponte creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos copioſe floret Octobri & Novembri. Bulbus ſubrotundus, albus, avellana minor.

Fo-

Folia duo vel tria, radicalia, baſi vaginæ albidæ incluſa, filiformia, ad lentem punctis albidis adſperſa, inferne carinata, cæterum facie plana, dorſo convexula, debilia terræque magis minusve incumbentia. Scapus flexuoſo - erectus, gracilis, circiter ſemipedalis, teretiuſculus, nudus, terminatus umbella patula, a tribus ad ſeptem flores gerente. Spatha ad umbellam bivalvis ex valvulis lanceolatis, acutis, membranaceis, oppoſitis, modo æqualibus, modo longitudine diverſis, pallidis. Radii uniflori, filiformes, plus minus ſexunciales. Flores inodori mutuo ſuccedunt. Petala intus alba, foris purpuraſcunt. Antheræ ſunt purpureæ. Germen viret. Stylus albet. Totum glabrum eſt.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, ſupera, lanceolata, acuta, parumper concava; tria exteriora leviter carinata.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, baſi dilatata, æqualia, patula, petalis breviora. Antheræ oblongæ, ſulcatæ, incumbentes.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum, trigonum. Stylus breviſſimus, erectus; hinc expanſus in corpus ſubrotundum, obſolete trigonum, ſpongioſum, punctatum, ſuperne ſexſulcatum; dein iterum ſubulatus, obtuſe trigonus, & fere longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex.

PER. Capſula ſubrotunda, triloba, trilocularis, trivalvis.

SEM. tria vel quatuor.

CCCLVI.

CCCLVI.

OXALIS HIRTA. *Linn. ſyſt. pag.* 433. *Thunb. diſſ. num.* 18.

Oxalis bulboſa; foliis anguſtis, ternis, hirtis; flore purpureo. *Burm. afr. pag.* 70. *tab.* 28. *fig.* 1.

Oxys africana bulboſa, flore purpureo, caule folioſo. *Raj. ſuppl. pag.* 599.

Oxys africana bulboſa, dorycnii monſpelienſium parvis foliis, floribus purpureis amplis. *Plukn. amalth. pag.* 164. *tab.* 434. *fig.* 7.

Oxys africana hirſuta latioribus foliis, flore magno purpureo. *Plukn. amalth. pag.* 164.

Oxys bulboſa africana, flore purpureo, foliis piloſis, pedunculis parvis. *Seb. muſ.* 1. *pag.* 33. *tab.* 22. *fig.* 11.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, florens apud nos Octobri & Novembri. Bulbus glaber tunicaque fuſca veſtitus conſtat ſquamis paucis ovatis, acutis, craſſis, ceu ex totidem bulbillis compoſitus. Caulis annuus, erectus, debilis, teres, hirſutus, plus minus ſemipedalis, junior ſimplex, adultior ramis indiviſis adſcendentibus auctus, totus folioſus. Folia ſparſa, numeroſa, breviſſime petiolata, ternata, infima ex vagina membranacea patente lataque orta; foliolis obverſe ovatis, vel cuneiformibus, obtuſis, integerrimis, patentibus, utrinque & ad oras villoſulis, ſeſſilibus, adſtringentis nec acidi ſaporis, ſemuncialibus vel duplo longioribus, modo ad apicem recurvatis, modo recta protenſis. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, patuli, hirſuti, purpuraſcentes, ab uncia una ad tres longi. Bracteæ duæ infra florem, oppoſitæ, lineares, acutæ, erectæ, villoſæ, calyce duplo breviores. Flos inodorus, uncialis diametri. Ca-

lycis

lycis fere ad basin quinquepartiti & hirsuti laciniæ sunt lanceolatæ, acutæ & concavæ. Corolla est campanulata, calyce fere triplo longior, saturate purpureo - rubra, obtusa nec emarginata, cum fundo flavente. Styli longitudine stamina superant.

Datur hujus forte mera varietas procerior caule fere pedali, ramis numerosioribus, flore minore & violaceo, pedunculis longioribus, etiam bulbo donata, nec radice fibrosa, ut ad hanc reducere non ausim, cæterum sat congruam, Burmanni figuram secundam citatæ modo tabulæ octavæ & vigesimæ.

CCCLVII.

OXALIS VERSICOLOR. *Linn. syst. pag.* 434. *Thunb. diss. num.* 19.

Oxalis bulbosa trifolia, foliis linearibus obtusis, flore externe rubro, intus albo. *Burm. afr. pag.* 65. *tab.* 27. *fig.* 1.

Oxalis bulbosa angustifolia, caule fruticoso, flore rubro. *Burm. afr. pag.* 66. *tab.* 27. *fig.* 2.

Oxys africana, foliis tenuissimis, flore amplo versicolore. *Plukn. amalth. pag.* 169. *tab.* 434. *fig.* 5.

In collibus & campis Promontorii bonæ Spei crescit; florens apud nos ab Augusto ad Novembrim. Bulbus omnino præcedentis hirtæ. Caulis annuus, modo semipedalis, modo brevior, imo vix ullus, teres, debilis, erectus, ad lentem villosulus, plus minus purpurascens, pennæ columbinæ fere crassitie, modo aphyllus & plerumque simplicissimus, modo

folio uno alterove aut & ramulo auctus, ſquamis paucis alternis brevibusque veſtitus. Folia ſummitatem caulis plurima aggregata terminant, ternata, petiolis donata gracilibus, a dimidia ad quatuor uncias longis, purpuraſcentibus, ad lentem villoſulis. Foliola ſunt linearia, plus minus uncialia, integerrima, obtuſa, emarginata, ſubtus piloſula, utrinque ad lentem papuloſa, ſupra glabra, ſubtus ad apicem duobus callis fulvis donata, acida. Pedunculi axillares, debiles, petiolis craſſiores & ut plurimum longiores, villoſuli, purpuraſcentes, uniflori. Bracteæ ad flores duæ, oppoſitæ, ſubulatæ, acutæ, erectæ, hirſutæ, virentes cum apicibus utrinque miniatis. Perianthii profunde quinquepartiti laciniæ ovatæ, acutæ, villoſulæ, vireſcentes cum apicibus utrinque miniatis. Corolla uncialis diametri, campanulata; tubo flaveſcente, longitudine calycis; limbo roſeo.

CCCLVIII.

TRADESCANTIA MULTIFLORA. *Swartz. prodr. pag.* 57.

Locis udis creſcit circa Caracas; apud nos in caldariis floret ab Auguſto ad Decembrim, tota quidem herbacea, tamen perennans ſemperque virens. Caules plures, ramoſiſſimi, quadripedales, procumbentes, geniculati, teretes, ſtriatuli, glabri, ſucculenti, purpuraſcentes vel virides, intus purpurei, ex omnibus geniculis, uti & rami, qua terram tangunt, radicantes. Ramuli florentes adſcendunt. Folia ſunt lanceolato-cordata, acuta, integerrima, utrinque nitidiſſima & glabra, ad oras villis ciliata, obſolete ſeptemnervia, craſſula, duas tresve uncias longa, alterna, ad lentem minutiſſime papilloſa, orta ex vagina ſtriata amplexicauli & antice ciliata, facie læte virentia, dorſo pallidiora. Pedunculi terminales

&

& axillares, plerumque gemelli, erecti, plus minus ſemunciales, villoſi, apice denſe multiflori. Pedicelli proprii breves, villoſi, florentes erecti, fructeſcentes cernui. Bracteæ nullæ. Calyx cum ſuffuſa pauca purpura viret, pilisque albis hirſutus eſt. Petala ſunt nivea. Filamenta albent. Antheræ in filamentis brevioribus violaceæ ſunt, in longioribus flavent. Tota inodora & inſipida eſt.

CAL. Perianthium inferum, triphyllum, perſiſtens; foliolis obverſe ovatis, acutulis, concavis, æqualibus, patentiſſimis.

COR. Petala tria, obverſe ovata, obtuſula, patentiſſima, calyce paulo longiora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta. Horum tria cum petalis alternantia breviſſima, apice incurva, glabra. Reliqua tria, ante petala poſita, fere longitudine corollæ, ſuperne incurva, hic appendice craſſiore & deſcendente aucta, ſimulque pilis longis articulatisque barbata. Antheræ oblongæ, geminæ, bracteolæ adnatæ.

PIST. Germen ſubrotundum, triſulcatum. Stylus brevis, erectus. Stigma lacero - trilobum.

PER. Capſula ſubrotunda, triſulcata, trilocularis, trivalvis.

SEM. plura, minuta.

CCCLIX.

BLECHNUM OCCIDENTALE. *Linn. syst. pag.* 931.

Blechnum simplex; foliis amplioribus, oblongis, falcatis & impetiolatis. *Brown. jam. num.* 1. *pag.* 91.

Lonchitis juxta nervum pulverulenta. *Plum. fil. pag.* 48. *tab.* 62. *lit. B. Plum. amer. pag.* 20. *tab.* 29. *lit. B. Petiv. pter. num.* 128. *tab.* 3. *fig.* 9. *Morif. hist.* 3. *pag.* 568. *s.* 14. *tab.* 2. *fig.* 16.

Filix minor in pinnas tantum divisa crebras, non crenatas, auriculatas, & lineis pulverulentis notatas. *Sloan. hist. jam.* 1. *pag.* 87. *tab.* 44. *fig.* 2.

In insulis Caribæis pluribus inque Venezuela sponte crescit; in caldariis nostris florens fere per totum annum. Radix pollicem crassa, nigra, ætate multiceps, fibris atris plurimis jubata, perennis. Frondes plures, erectiusculæ, superne reclinatæ, plus minus pedales, simpliciter pinnatæ. Stipes teres, antice sulcatus, glaber, semipedalis, inferne paleis fuscis vestitus, ad ipsas pinnas villosus. Pinnæ plurimæ, sessiles, basi cordatæ, dein oblongæ, acutulæ, glabræ, ad oras retrorsum scabræ, rigidulæ, exteriores utrinque breviores, subtus oblique transversim lineatæ, inferiores distantes, superiores sibi mutuo magis vicinæ cum terminali longiore, modo omnes oppositæ, modo omnes alternæ, modo inferiores oppositæ cum reliquis alternantibus. In pinnarum dorso membrana pallida longitudinalis & continua utrumque nervi medii latus claudit, quæ in parte nervo vicina per totam longitudinem suam in maturitate secedit, elevatur, promitque pulverem globosum, minutum, primo pallentem, dein fuscum.

CCCLX.

CCCLX.

SPILANTHUS RADICANS.

In Venezuela ſponte creſcit; in caldariis noſtris floret a Julio ad Januarium, quando annua perit. Tota planta acris eſt, ſalivamque movet, radix fortius, folia dumtaxat debiliter. Radix ramoſa, fibrilloſa, albida. Caulis unicus, teres, calamum & ultra craſſus, viridis, tandem tripedalis, maximam partem glaber & ad lentem paucis pilis ſparſis brevibusque hirſutulus, ex ramis paniculatus, erectus quidem, tamen hic illic arcuatus, infra medium pluribus in locis verruculis acutulis carnoſisque exalperatus, quæ ſi terram attingere poſſunt, in fibras radicales elongantur, infimæ etiam ſponte radiculæ evadunt; unde planta in loco natali forte ex caule ramisque dejectis (nam & rami inferiores talibus tuberculis inſtruuntur) perennat. Rami alterni aut oppoſiti, rarius terni, cauli plus minus ſimiles, ipſi ſubdiviſi, baſi adſcendentes, cæterum erecti, ſuperiores ad angulum acutum erecti. Folia perpetuo oppoſita in tota planta, etiam ubi rami alterni ſunt, ad ramos ternos tamen terna, ovata, acuta, obſolete ſerrata, quædam fere integra, venoſa, ſubaſpera, ad lentem parum pubeſcentia, patentiſſima, longiora triuncialia cum petiolo unciali & hirtulo. Pedunculi uniflori, graciles, erecti, pubeſcentes, plus minus ſeſcunciales, ſolitarii in dichotomiis ramulorum vel oppoſitifolii, omnino numeroſi. Flores conici, inodori; calyce viridi, villoſulo & ciliato; corollulis albis; ſemine atro cum ciliis albis. Paleæ in fructu pallidæ & pellucidæ ſunt. Exteriores diutius perſiſtentes mentiuntur foliola calycina, ut calyx videatur polyphyllus & non unius fuiſſe ordinis, ſed ſtructura diverſa, & quod ſingulæ florem incluſerint, paleas eſſe docent.

CAL. communis turbinatus; foliolis fere quinis vel ſenis, oblongis, ſubæqualibus, acutulis, erectis.

COR. compoſita conica, uniformis, tubuloſa. Corollæ hermaphroditæ, æquales. Propria infundibuliformis; limbo quadrifido, rarius quinqueſido, patentiſſimo.

STAM. Filamenta ſemper quinque, brevia. Anthera cylindrica, tubuloſa, tubum corollæ parum ſuperans.

PIST. Germen obverſe ovatum, compreſſum, emarginatum, ad utrumque latus ciliatum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigmata duo, capitata, patula.

PER. nullum. Calyx patens.

SEM. ſolitaria, figura germinis, biariſtata, ariſta altera longiore.

REC. gracile, longitudine floris, paleaceum. Paleæ membranaceæ, oblongæ, obtuſæ, concavæ, longitudine floſculi, apice obſcure dentatæ, ſingulis floſculis ſubjectæ, tandem deciduæ.

CCCLXI.

HYACINTHUS CORYMBOSUS. *Tab. 19. fig. 2. Linn. ſyſt. pag.* 335. *Linn. mant. pag.* 223.

In paſcuis ad Promontorium bonæ Spei creſcit; apud nos floruit Octobri & Novembri. Bulbus ovato-ſubrotundus, albidus, avellanæ magnitudine. Folia radicalia fere tria, linearia, anguſtiſſima, carnoſula, nitida, acutula, ad apicem usque canaliculata, patentia, baſi vaginantia, fere ſemipedalia. Scapus foliis duplo brevior, teres, erectus, glaber, obſcure purpuraſcens, pauciflorus, ad apicem corymboſe racemoſus. Pedi-

dicelli proprii erecti, albidi, breves, bracteola minima suffulti. Flores inodori, suberecti. Laciniæ petali intus purpureæ sunt, foris albidæ cum linea dorsali media purpurascente. Filamenta, stylus & stigmata albent. Antheræ flavent. In germine virente nullos poros nectariferos observare potui. Fructum non dedit.

CAL. nullus.

COR. monopetala, basi tantum connata, sexfida; laciniis oblongis; obtusulis, æqualibus, planis, in tubum erectis, ad unam tertiam partem superne reflexis.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, receptaculo inserta, quorum tria alterna longitudine tubi corollæ, reliqua duplo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen superum, subrotundum, sexsulcatum. Stylus subulatus, erectus, longitudine staminum. Stigma subcapitatum, obtusum.

PER. & SEM. . . .

CCCLXII.

CITHAREXYLUM ERECTUM. *Swartz. prodr. pag.* 91.

Citharexylum fruticosum, foliis subellipticis, petiolis pedatis, calycibus truncatis, spicis terminalibus longioribus. *Brown. jam. pag.* 265. *num.* 5. *tab.* 28. *fig.* 2.

Sponte crescit in Jamaica; in caldariis nostris sempervirens, & florens Augusto & Septembri, sed fructum dare recusans. Arbor tota glabra est,

eſt, trunco erecto tereti & cinereo. Rami ſeniores etiam teretes & cinerei ſunt; juniores autem virides, compreſſuli, at vix tetragoni. Folia ſunt oppoſita, breviter petiolata, obverſe ovata, verſus baſin anguſtata, rariſſime quædam inciſa, plerumque integerrima, ſubcoriacea, facie nitida, dorſo venuloſa, plus minus quadriuncialia, glandulis ad baſin deſtututa. Racemi terminales, erecti, ſemipedales. Flores numeroſi, ſuaveolentes, pedicellis propriis ſuffulti. Calyx virens, campanulatus, quinquedentatus. Corolla alba & reliqua ut in congeneribus.

CCCLXIII.

ORNITHOGALUM CONICUM.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Bulbus ovatus, juglandis magnitudine, albus. Folia lineari-lanceolata, acuta, plana, glabra, craſſula, ad oras albo breviſſimoque villo ciliata, radicalia, plura, a tribus ad octo uncias longa. Scapus teres, fere calamum craſſus, erectus, glaber; foliis duplo longior, terminatus racemo florum plurimorum conico, tandem magis elongando. Pedicelli proprii unciales, erecti. Spathæ lanceolato-acuminatæ, concavæ, ad minus logitudine pedicellorum, albidæ, totæ ſcarioſæ, pellucidæ, tenuiſſimæ. Petala ſex, ſubpellucida, nivea, immaculata, ſubæqualia, lanceolata, acuta, parum concava, tota patentiſſima inque ſtellam expanſa. Filamenta ſex, ſubulata, petalis duplo breviora, alba, alterna ad baſin duntaxat leviſſime auriculata. Antheræ oblongæ, utrinque bifidæ, obtuſæ, incumbentes, ſulphureæ. Germen oblongum, triquetrum, viride. Stylus albus.

CCCLXIV.

CCCLXIV.

ORNITHOGALUM FLAVESCENS.

Bulbus depreſſo - ſubrotundus, albus, uncialis diametri. Folia radicalia pluſcula, plus minus ſemipedalia, majora ſeſcunciam lata, acutula, craſſula, ad oras villulis denſiſſime ciliata. Scapus pedalis & ultra, teres, calamo craſſior, erectus, glauco ore tectus, ſuperne corymboſe racemoſus. Pedunculi proprii biunciales & ultra, craſſi, erecti, plus minus triginta. Spathæ virides, acutæ, pedunculis duplo breviores, eosdemque connivendo amplexantes, concavæ. Petala ſubæqualia, late lanceolata, acuta, parumper concava, patula, primum flava, deinde alba, ad unguem ex fuſco luteola, fere uncialia. Filamenta ſex, petalis triplo breviora, ſubulata, erecta, inferne alba, ſuperne ſordide luteſcentia, alterna tria baſi utrinque membrana alba alata. Antheræ flavæ, oblongæ, incumbentes, polline luteo. Germen ovatum, triquetrum, viride. Stylus brevis, craſſus. Stigma capitatum, trilobum, villoſum, ſordide luteum.

CCCLXV.

ORNITHOGALUM MINIATUM.

Forte hoc & Ornithogalum flaveſcens meræ varietates ſunt Ornithogali thyrſoidis; non auſim tamen decidere. Patria omnibus eadem eſt, Promontorium bonæ Spei; idem habitus, idem florendi apud nos tempus; idem odor; foliorum idem margo; ſed floribus color diverſus & conſtans. Huic bulbus eſt depreſſo - ſubrotundus, albus, avellanæ magnitudine aut

major. Folia radicalia tria vel quatuor, uncias plus minus quatuor longa, dimidiam plus minus unciam lata, acutula, craſſula, ad oras per microſcopium villo albo ciliata. Scapus calamum craſſus, plus minus novemuncialis, teres, erectus, ſuperne corymboſe racemoſus ex floribus circiter quatuordecim. Pedunculi proprii craſſi, teretes, erecti, ſpathis duplo longiores. Spathæ ſeſcunciales, acutæ, concavæ. Petala ſaturate utrinque miniata, parum concava, ovata, acuta, patula, ſupra unguem leviter fuſceſcentia. Filamenta ſex, petalis triplo breviora, erecta, ſubulata, inferne alba, ſuperne ſordide luteſcentia, alterna tria ad baſin utrinque aucta membranula alba, alia tria ibidem duntaxat paulo latiora. Antheræ oblongæ, apice bifidæ, incumbentes, albæ, polline ſulphureo. Germen ovatum, triquetrum, viride. Stylus craſſus, brevis. Stigma capitatum, magnum, trilobum, ſordide luteum, villoſum.

CCCLXVI.

COMMELINA LONGICAULIS.

Ad rivulos & in humidis creſcit ad Caracas; apud nos in caldariis floret totam æſtatem, herbacea quidem tota, ſed perennans & ſempervirens in diverſis ramis. Unica planta intra quatuor menſes æſtivos, rependo & ex omnibus geniculis radicando, aream occupat decem & ultra pedum diametri, caulibus tunc longiſſimis ramoſiſſimisque donata. Hi ſunt teretes, glabri, pennæ columbinæ craſſitie, geniculati, virides cum ſuffuſa quandoque rubedine. Folia ſunt alterna, anguſtiſſime & fere lineari-lanceolata, acuminata, integerrima, ad oras non ſcabra, fere tres uncias longa, ad lentem utrinque rariter & obſolete hirtula, ſubtiliſſime nervuloſa;

or-

orta ex vagina amplexicauli, ſtriata, & ad oras imprimis hirſutula. Pedunculi axillares, ſolitarii, filiformes, erecti, vix ſemunciales, terminati bractea connivente ovata & acuta. Ex hac egrediuntur pedicelli proprii duo, graciles, erecti, geniculo inſtructi. Flores parvi. Petala tria exteriora ovata, acuta, pallida. Tria interiora cærulea, unguiculata, ſubrotunda; quorum duo fere dimidio majora tertio. Nectaria tria, cruciformia, alba, pedicello cæruleo inſidentia. Filamenta cærulea. Antheræ flavæ, ſagittatæ, utrinque obtuſæ, cum cruribus divergentibus membrana alba connexis.

CCCLXVII.

COMMELINA MOLLIS.

Cum priore creſcit; eodem tempore in caldariis noſtris floret; eodemque modo perennat. Caules bipedales & ultra, geniculati, radicantes, proſtrati, calamum craſſi, teretes, antice nonnunquam planiuſculi & ſulculo notati, villoſi, ramoſiſſimi. Folia ovata, acuta, integerrima, utrinque villoſula, ſubtiliter nervoſa, petiolata, alterna, tres quatuorve uncias longa, ad tactum mollia, ſupra ſine nitore virentia, ſubtus pallidiſſime virentia; petiolo ciliato, dein dilatato in vaginam laxe amplexicaulem, ſtriatam, villoſam, ad oras ciliatam, & ſæpe rubentem. Involucrum breviſſime pedicellatum, ſemiorbiculatum, obtuſiſſimum, connivens, compreſſum, ſubbiflorum. Flos priori ſtructura, colore & magnitudine ſimilis.

CCCLXVIII.

ERNODEA LITTORALIS. *Swartz. prodr. pag.* 29.

Knoxia littoralis repens, foliis rigidis oblongis oppoſitis, floribus ſingularibus. *Brown. jam. pag.* 140.

Thymelea humilior foliis acutis atrovirentibus. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *pag.* 93 *tab.* 189. *fig.* 1. 2.

Creſcit in inſulis Bahamenſibus & in Jamaica. Apud nos in caldariis læte vegetat, ſempervirens, frutex ex ſemine enato quadriennalis jam quadripedalis, elegans, erectus, trunco digitum craſſo, valde ramoſus, cortice cinereo rimuloſo, totus glaber, ſemel paucos flores Novembri & Decembri protulit. Ramuli juniores virentes, ſubſtriati, ad folia purpuraſcentes. Hæc ſunt oppoſita, ſeſſilia, anguſte lanceolata, utrinque acuta, integerrima, rigidula, nitida, læte virentia, avenia, ſeptemnervia cum nervis vix protuberantibus, ſubbiuncialia, omnino numeroſa. Flores axillares, pauci aggregati, ſeſſiles, oppoſiti. Calycis virentis apices rubent. Filamenta albent. Antheræ vireſcunt. In ſequenti charactere fructus deſcriptus eſt ad miſſos ſiccos ſub erroneo Spermacoces procumbentis titulo.

CAL. Perianthium ſuperum, quadripartitum, perſiſtens; foliolis linearibus, acutis, concavis, erectis.

COR. monopetala. Tubus cylindricus, erectus, calyce longior. Limbus quadrifidus; laciniis linearibus, acutis, planis, revolutis, longitudine tubi.

STAM.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, tubo corollæ inserta, eademque paulo breviora. Antheræ oblongæ, acuminatæ, oblique affixæ, erectæ.

PIST. Germen inferum, tetragonum. Stylus capillaris, erectus, staminibus longior. Stigma capitatum, apice plano & piloso.

PER. Bacca subrotunda, coronata calyce, unilocularis.

SEM. duo, hinc convexa, illinc plana.

CCCLXIX.

ANDROPOGON UNDATUS.

Crescit in insula Mauritii, in caldariis nostris florens a Novembri ad Januarium, semina perficiens Februario. Ex radice fibrosa caules exsurgunt plures, omnium ramosissimi, tripedales & ultra, graciles, teretes, sempervirentes, perennantes, ad lentem obsolete villosuli, repentes, ex omnibus nodis radicantes, geniculis instructi incrassatis & hirsutis; ramulis ultimis florigeris adscendentibus, imo erectis, ad minus semipedalibus. Numerosi rami cum numerosis foliis totam aream occultant. Folia sunt longe lanceolata, acuta, ad oras retrorsum scabra, utrinque ad lentem villosula subtiliterque striatula, undata, plus minus biuncialia; orta ex vagina striatula, ad oras villosula, in summo folio sæpe triunciali, in reliquis breviore. Ramuli terminantur in rhachin erectam, quatuor vel quinque uncias longam, parumper flexuosam, glabriusculam, ad singulas spicas alternatim hinc convexulam, illinc planam. Spicæ in hac rhachi communi alternantes, utrinque ut plurimum duæ cum terminali, brevissime pedunculatæ aut fere sessiles, patentissimæ, striatæ, unciales aut sesquinciales, flexuo-

xuosæ, villosulæ, dorso planæ, antice carinatæ, hinc triangulares. Utrumque latus hujus rhacheos, inter angulum dorsi & angulum carinæ, flores occupant secundi unica fere serie, expansi extrorsum utrinque divergentes, clausi erecti & ad rhachin appressi. Plerumque ex eodem puncto gemelli prodeunt, flos hermaphroditus & ante hunc paulo inferius mas, uterque brevissime pedicellatus, hermaphroditus tamen paulo longius. Multo tardius prodit mas, quin imo raro apud nos ad expansionem usque increscit. In spica terminali non raro flos dumtaxat unicus in apice adest erectus, deficientibus reliquis. Glumæ glabriusculæ virent. Aristæ saturate rubent. Antheræ flavescunt. Stigmata rubent.

Flos hermaphroditus.

CAL. Gluma uniflora, erecta, bivalvis; valvulis ovatis, obtusulis, carinato-concavis, apice villosulis, dorso rariter aculeatis, in dorso infra apicem aristatis, corolla brevioribus; valvula exteriore paulo longiore & longissime aristata; aristis rectis.

COR. bivalvis, erecta; valvulis calyci similibus, exteriore aristata, interiore plerumque mutica.

STAM. Filamenta tria, capillacea, corollæ longitudine. Antheræ utrinque hastatæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum. Styli duo, capillares, longitudine corollæ. Stigmata longa, hirsuta.

PER. nullum.

SEM. unicum.

Mas.

CAL. ut in hermaphrodito.

COR.

COR. ut in hermaphrodito; ſed utrobique ariſtæ breviores.
STAM. ut in eodem.
PIST. nullum.

CCCLXX.

LACHENALIA PENDULA. *Ait. kew. pag.* 461.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Novembri & Decembri. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, albidus, fere uncialis diametri. Folia radicalia duo, plus minus octo uncias longa & ſeſcunciam lata, acuta, integerrima, craſſula, nitida, erectiuſcula, planiuſcula, utrinque virentia & immaculata, inferne concava, baſi convoluta comprehenſaque intra vaginam membranaceam albidam truncatamque. Scapus erectus, calami craſſitie, fere pedalis, nitidus, immaculatus, viridis, ad flores rubeſcens. Racemus terminalis, ex floribus plus minus duodecim inodoris & pendulis, ad apicem bracteis ſterilibus coronatus. Bracteæ ad flores pallidæ, membranaceæ, concavo-adnatæ, hinc ovatæ & patulæ. Pedunculi ſubrubentes, vix ſemunciales. Flores unciam & unam tertiam longi, tubuloſi, triangulares. Petala tria exteriora utrinque rubra cum apice virente. Tria interiora foris flaveſcunt cum dorſi carina rubente, ſuperne ſaturatiſſime rubroviolacea cum carina viridi; intus ejusdem fere coloris. Filamenta pallent. Antheræ ſunt violaceæ cum polline ex flavo virente. Germen viret. Stylus & ſtigma albent. Fructum non tulit.

CAL.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, in tubum erecta. Tria exteriora lineari - oblonga, obtuſa, concava, tertii ſuperioris apice calloſo fornicato & depreſſo. Tria interiora elongato - cuneiformia, prioribus paulo longiora, quibuscum ad baſin parum connata, obtuſiſſima, ſubemarginata, leviter carinata.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, longitudine corollæ. Antheræ incumbentes, haſtatæ.

PIST. Germen ovale, triquetrum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, ſubtrilobum.

PER. & SEM. . . .

CCCLXXI.

LACHENALIA ORTHOPETALA.

Creſcit ad promontorium bonæ Spei; apud nos floret in tepidario menſibus Januario & Februario; ſed fructum huc usque non tulit. Bulbus ſubrotundus, albidus, carnoſo - tunicatus, pollicis craſſitie. Folia ſæpius quatuor, pedalia, flaccida, inferne quatuor plus minus lineas dumtaxat lata, ſupra medium veluti ſubulata, craſſula, canaliculata, acuta, glabra, inferiore facie maculis fuſcis obſoletis adſperſa. Scapus ſemipedalis, teres, pallide ex rubro fuſceſcens, erectus, calamum fere craſſus, terminatus in ſpicam multifloram erectamque. Flores erecti, pedicellis propriis brevibus pallidisque inſtructi, inodori, circiter triginta; ſummis abortantibus. Bracteæ ad ſingulos flores cyathiformes, ſcapo adnatæ. Petala alba,

ba, extus infra apicem lineola viridi perpendiculari insignita. Filamenta alba. Antheræ purpureæ. Germen viride.

CAL. nullus.

COR. hexapetala, erecta, subinfundibuliformi - tubulosa, obsoletius triangularis; petalis linearibus, obtusulis; quorum tria exteriora paulo breviora & ipsa basi connata cum interioribus.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, corollæ longitudine. Antheræ oblongæ, sulcatæ, erectæ.

PIST. Germen oblongum. Stylus subulatus, fere longitudine staminum. Stigma simplex.

PER. & SEM. . . .

CCCLXXII.

LACHENALIA ORCHIOIDES. *Ait. kew. vol.* 1. *pag.* 460.

Phormium orchioides. *Thunb. nov. gen. pag.* 96. *lit.* ß.
Phormium hyacinthoides. *Linn. syst. pag.* 336.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei, apud nos florens in tepidariis Januario & Februario. Tota glabra est. Bulbus subrotundus, albidus. Folia plerumque duo, radicalia, semipedem vel & pedem longa, a dimidia ad duas sescuncias lata, altero semper multo angustiori, acutula, crassula, superne patula, planiuscula, inferne vaginanti - canaliculata, ad oras cartilagineo - aspera, sordide virentia, intus lineolata maculisque fuscescentibus adspersa. Scapus teres, erectus, calamo duplo gracilior, vel & digitum

minimum fere craſſus, pallide virens cum maculis fuſcis, firmulus, plerumque foliis longior. Bracteæ ad flores lanceolatæ, acuminatæ, baſi concavæ, patentiſſimæ, albæ. Flores ſeſſiles, modo ſuaveolentes, modo inodori, erectiuſculi; ſupremis in ſpica abortantibus. Petala exteriora albent cum apicibus virentibus; interiora pallide flavent. Antheræ flavent. Fructum non dedit.

CAL. nullus.

COR. tubuloſa. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, erecta, truncata, apice fornicata & calloſa, cum interioribus inferne connata. Tria interiora cuneiformia, obtuſa, prioribus ad unam tertiam longiora, ſupra hæc patula.

STAM. Filamenta ſex, filiformia, erecta, petalorum baſi adnata, eorumdemque longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ovatum, trigonum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

PER. & SEM. . . .

CCCLXXIII.

LACHENALIA MEDIANA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; florens apud nos Januario. Tota glabra. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, avellanæ magnitudine. Folia radicalia duo, pedalia & ultra, acuta, inferne canaliculata & vaginantia, ſuperne plana, lineari-lanceolata, longitudine fere æqualia, latitudine alterum fere unciale, alterum multo anguſtius, ſaturate utrinque vi-

virentia, immaculata, lucida, ad oras integerrima nec aſpera, ad lentem lineolata. Scapus teres, nitidus, pallide virens, calamo gracilior, immaculatus, erectiuſculus, debilis, hinc arcuatus ut plurimum. Racemus erectus, tandem triuncialis, ex floribus plus minus viginti, remotulis & inodoris. Bracteæ ſeſſiles, concavæ, acuminatæ, albidæ. Pedicelli uniflori, teretes, erectiuſculi, bractearum ad minus longitudine. Petala albida, tria exteriora ſupra medium tota virentia, interiora ibidem lineola tantum media viridi notata. Filamenta alba. Antheræ ſubvireſcentes cum polline flavo. Germen viret. Stylus albet. Fructum non dedit. Medianam dixi, quod media ſit inter Lachenaliam orchioidem & pallidam Horti kewenſis, quam ultimam olim deſcripſi in Horto botanico vindobonenſi ſub titulo Hyacinthi orchioidis. A Lachenalia orchioide differt floribus pedicellatis foliisque ad oras non aſperis; a Lachenalia pallida foliis latioribus & planis.

CAL. nullus.

COR. tubuloſa. Petala ſex. Tria exteriora oblonga, obtuſa, erecta cum apice patentiſſimo, apice calloſa, ſummum fornicatum. Tria interiora cuneiformia, obtuſa, ſuperne revoluto - patentia, exterioribus paulo longiora, cumque his ad ſolam baſin connata.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, baſibus petalorum adnata, eorundemque longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſuperum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum.

PER. & SEM. . . .

CCCLXXIV.

LACHENALIA PUSTULATA.

Ad Promontorium bonæ Spei creſcit; apud nos floret Decembri & Januario. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, tunica fuſca veſtitus. Folia radicalia duo, lanceolato-linearia, glabra, immaculata, acuta, integerrima, fere pedalia, flaccida, hinc reclinata, baſi canaliculata & amplexicaulia, ſuperne plana, verſus ſummitatem revoluta, in facie a medietate ad apicem usque puſtulis elevatis rotundatis ſparſisque ſemper inſignita. Scapus longitudine foliorum, totus reclinatus, debilis, nitidus, triquetrus, triſulcatus, latere uno anguſtiſſimo, hinc veluti compreſſus. Spica terminalis, tandem ſeſcuncialis, ab inferioribus ſucceſſive florens, denſa, multiflora. Bracteæ concavæ, ex lata baſi in acumen terminatæ, pallidæ, glabræ, parvæ; terminales ſteriles, lanceolato-lineares, acuminatæ, roſeæ, longiores. Flores inodori, ſubſeſſiles, patuli. Petala albida, exteriora ſuperne ſubtus virentia, interiora utrinque ſuperne cum faſcia anguſta ex flavo virente. Antheræ flavæ. Stigma albidum.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, erecta. Tria exteriora oblonga, ad apicem incraſſata, nec fornicata, baſi cum interioribus connata. Tria interiora oblonga, obtuſa, ſuperne lateſcentia & patula, exterioribus ad unam quartam longiora.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, fere longitudine corollæ. Antheræ ſubrotundæ, compreſſulæ.

PIST.

PIST. Germen ovatum, triquetrum. Stylus filiformis, petalis longior. Stigma capitatum, villoſum.

CCCLXXV.

ADIANTUM STRIATUM. *Swartz. prodr. pag.* 135.

Adiantum ramoſum, foliis trapeziis dentatis. *Plum. amer. pag.* 31. *tab.* 46. *Plum. fil. pag.* 80. *tab.* 97.

In fiſſuris rupium creſcit ad Caracas. In caldariis noſtris floret Octobri menſe & ſubſequis. Radix perennis conſtat ex denſa aggerie fibrarum craſſarum, longarum & nigricantium; ex qua plures attolluntur frondes erectæ, a ſemipede ad tres pedes altæ. Stipes a tribus unciis ad pedem altus, erectus, teres, firmus, niger, non ſulcatus, gracilis, aſper, antice ſpinulis rudibus breviſſimisque armatus. Frons bipinnata ex pinnis utrinque numero incerto pluribus, alternis, ſimpliciter pinnatis, inferiore utroque haud procul ab ortu bifida, ut reſpectu diviſionis inferioris frons tripinnata dici poſſit. Coſtæ omnes ſunt nigræ & villoſulæ, longitudine in diverſis frondibus valde diverſæ; ſuperiores inferioribus ſemper multo longiores, & ſæpe ſuperne ad latus incurvatæ. Pinnulæ ſunt numeroſæ, plerumque alternæ, rigidulæ, vix ſemunciales, trapeziformes, glabræ, nitidæ, læte virentes, obtuſæ, lineis percurſæ ex eodem ortu per paginam divaricatis, in lateribus duobus ſuperioribus repandulæ, in duobus inferioribus integerrimæ. Fructificationes incurvæ marginem pinnularum dorſalem in duobus modo dictis lateribus ſuperioribus denſa unaque ſerie

occupant nigræ, pulvinatæ, punctatæque. Pinnulæ ſuperiore plus minus fructificationibus deſtituuntur.

CCCLXXVI.

SELAGO FASCICULATA. *Linn. ſyſt. pag.* 568. *Linn. mant. pag.* 250.

Ad Promontorium bonæ Spei creſcit; florens apud nos Julio & Auguſto. Caules adſcendentes vel erectiuſculi, ſeſquipedales, fruticoſi, teretes, ramoſi, inferne lignoſi & fuſci, calamum & ultra craſſi. Folia conferta, totos ramos obſidentia, alterna, vix uncialia, obverſe ovata, acutula, argute ſerrata, rigidula, craſſula, modice decurrentia, ad baſin integerrima, ad lentem leviſſime ciliata, læte virentia, utrinque glabra, ſubamaricantia. Corymbi terminales, faſciculati, denſi, convexuli, omnes ſimul unam alteramve unciam diametro æquantes. Bracteæ ad ſingulos flores lanceolatæ, acutæ, concavæ, calycem amplexantes, eoque duplo longiores, virentes. Flores fortiter & grate olentes, calyce pallido, corolla pallide cærulea, germine viridi, filamentis ſtyloque albis, antheris ſulphureis.

CAL. Perianthium profunde quinquefectum, perſiſtens: laciniis linearibus, obtuſulis, concavis, erectis, æqualibus.

COR. monopetala. Tubus anguſte infundibuliformis, parum incurvus, calyce fere duplo longior. Limbus quinquefidus, patentiſſimus, tubo duplo brevior: laciniis oblongis, obtuſis, planis: duabus inferioribus brevioribus minusque profunde fectis, conſtituentibus veluti labium ſuperius corollæ inverſæ.

STAM.

STAM. Filamenta quatuor, capillaria, divergentia, tubo corollæ innata; quorum duo exteriora longiora corollam æquant. Antheræ oblongæ, transverſe accretæ apici dilatato filamenti.

PIST. Germen obverſe ovatum, compreſſum, obtuſum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus longior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. & SEM. . . .

CCCLXXVII.

SPANANTHE PANICULATA.

Sponte creſcit circa Caracas. In caldariis noſtris floret ab Auguſto ad Januarium. Ex radice annua & ramoſa caulis attollitur tandem tripedalis, digitum craſſus, glaber, virens cum ſtriis atropurpureis, teres, ſubarticulatus, fiſtuloſus, ab ipſa jam baſi ramoſus, modo totus erectus, modo in decurſu ſemel vel bis ad angulos acutos flexuoſus, dein dichotomus cum umbella media. Rami patuli, ſubdiviſi, cauli ſimiles. Folia ſunt alterna, longe petiolata, numeroſa, cordato-deltoidea, acuta, ſerrata, venoſa, facie atrovirentia pilisque albis hiſpida, dorſo dilute viridia fereque glabra, ad exortum ex petiolo circulariter barbata, majora quatuor uncias lata cum longitudine fere triunciali, ſaporis ingrati; petiolo tereti, antice leviſſime ſulcato, & baſi in membranam amplexicaulem expanſa. Pedunculi umbelliferi axillares & in dichotomiis, ſolitarii vel gemelli, graciles, elongati. Umbellæ valde irregulares & variabiles, ut vix deſcribi poſſint. In aliis radii umbellæ univerſalis ſunt ramoſi, ut umbellam paniculatam conſtituant, cum foliolis ad diviſiones ovato-acuminatis ſerratis & petiolatis. In aliis contra iidem radii plures vel pauciores

ſunt

ſunt uniflori vel biflori cum umbella particulari centrali admodum elongata. Et ſic porro. Germen & calyx virent. Petala ſunt alba. Antheræ flavent. Semina glabra fuſceſcunt, inque fructu marginibus ab invicem parumper diſtant. In adulta planta tantus umbellarum numerus eſt, ut his tota veluti obtegatur. Nomen novi generis mutuavi a græco στανός & ἄνθος, ob raritatem umbelliferæ plantæ in zona torrida.

CAL. Umbella univerſalis ex radiis a tribus ad octo, irregularis. Partialis ex radiis plus minus tribus, irregularis.

Involucrum univerſale ſubpentaphyllum; foliolis lineari - lanceolatis, acutis, patentiſſimis, concavis, brevibus. Partiale ſubtriphyllum, ſimile.

Perianthium pentaphyllum, ſuperum, parvum, perſiſtens; foliolis ovatis, acutulis, erectis.

COR. univerſalis, uniformis. Floſculi omnes fertiles. Propria petalis quinque, lanceolatis, obtuſis, planis, æqualibus, patentiſſimis, nec inflexis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erectiuſcula, fere longitudine corollæ. Antheræ didymæ.

PIST. Germen inferum, compreſſulum, biſulcatum, apice bifidum. Styli duo, ſubulati, patuli, ſtaminibus breviores. Stigmata ſimplicia.

PER. nullum. Fructus ovalis, compreſſus, ad oras dehiſcens, ſeparabilis in duo ſemina.

SEM. duo, ovalia, compreſſo - plana, in dorſo tribus ſtriis notata.

CCCLXXVIII.

CCCLXXVIII.

ANTHERICUM LATIFOLIUM. *Linn. syst. pag.* 331.

Promontorium bonæ Spei patria est. Apud nos floret Septembri & Octobri. Totum glabrum & succo sordide luteo plenum. Bulbus basi planus, cæterum rotundatus, duas uncias diametro æquans, sesquunciam altus, albidus, tunica nigra obductus, ex ambitu laterali inferiori fibras aliquot crassas & pallide fuscescentes emittens. Squamæ emarcidæ & fuscæ, reliquiæ foliorum præteritorum, atque etiam unum alterumve folium brevissimum, basin reliquorum foliorum, mutuo hic amplexantium, circumdant. Folia sunt radicalia plura, plus minus semipedalia, acuta, integerrima, nervose lineata, erectiuscula, parum concava, carnosa, nitida, læte virentia, interiora angustiora; extimum latissimum, unciam inferne superans, hinc subensiforme. Scapus extra folia lateralis, teres, calamo gracilior, bipedalis, erectus, simplex, a medietate ad apicem racemosus. Pedicelli unciales, graciles, uniflori, in florescentia parumper patuli, cæterum erecti. Flores odoratuli. Bracteæ lanceolato-lineares, acutæ, erectæ, pedicellis duplo breviores. Petala sordide lutea cum linea media virescente, reflexo-patula, superne concava, in fructu erecta & marcida. Filamentorum barba densa & flavescens. Antheræ ochroleucæ. Stylus filiformis, albus.

CCCLXXIX.

BEGONIA DICHOTOMA.

In ſylvis humidis ad Caracas creſcit; in caldariis noſtris floret Februario, Martio & Aprili. Caules frutico ſi, ramoſi, ſempervirentes, ſexpedales, erectiuſculi, pollicem craſſi, vix lignoſi, obſolete angulati, ſeniores glabri & cum virore cineraſcentes juniores virides pilisque albis hirtuli. Folia ſunt alterna, petiolata, ſubrepanda, dentato - crenata, venoſa, cordata, facie nitida glabra & læte virentia, ſubtus pallide viridia & ad venas obſolete magis minus hirtula, ſic obliqua ut apex acutulus alterum preciſe latus ſpectet, ſaporis acidi auſteri, patentiſſima; majora ab apice ad latus oppoſitum uncias decem æquantia, alta tantum uncias ſex; cum petiolo ſeptemunciali, tereti, ad ſolem rubello, obſolete hirtulo, & calamum craſſitie ſuperante. Stipulæ gemellæ, ovatæ, acutæ, integerrimæ, glabræ, pallide virentes, conniventes, dorſo carinatæ, brevi marceſcentes & caducæ. Pedunculi communes erecti, ſemipedales & ultro, teretes, nitidi, pilis rariſſimis adſperſi, primum terminales, dein ob productos caulem ramosque axillares, ſuperne patentiſſime & regulariter repetito - dichotomi. Bracteæ ad diviſiones minutæ, acutæ, oppoſitæ. Flores inodori, pedunculati, in dichotomiis principibus nulli, in reliquis ſemper præſentes, monœci. Mares numeroſiſſimi, in dichotomiis omnibus, aliisque pedunculis, primo florentes, caduci. Fœminæ cum ultimis maribus expanduntur in ultimo elongatis pedicellis, quin imo ſæpius poſt omnes jam delapſos una cum pedicellis ſuis mares, ut tunc fœcundari videantur a maribus aliorum racemorum, ſerius in eadem individua planta prodeuntium.

Pe-

Petala in utroque ſexu, filamenta & germinis alæ albent. Antheræ & ſtyli flavent.

Mas.

CAL. nullus.

COR. Petala quatuor, patentiſſima, concava, obtuſa; quorum duo oppoſita ſubrotunda; duo alia oblonga, & multo minora.

STAM. Filamenta circiter triginta, ſubulata, brevia, erectiuſcula, orta ex receptaculo communi paulo ſupra ortum corollæ elevato. Antheræ lineares, erectæ, hinc convexæ, illinc ſulcatæ, biloculares, fere longitudine corollæ.

Fœmina.

CAL. nullus.

COR. Petala quinque, oblonga, concava, patula, ſupera; quorum tria interiora obtuſiſſima & majora, duo exteriora acutula & minora.

PIST. Germen inferum, glabrum, oblongum, in tres alas membranaceas lateraliter excurrens, quarum una maxima. Styli tres, baſi leviſſime connati, muricatuli, ſemibifidi, flexuoſi. Stigmata ſimplicia.

PER. Capſula figura germinis, trilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſiſſima, minuta.

CCCLXXX.

JUSTICIA PULCHERRIMA. *Jacq. ſtirp. amer. pag. 6. tab. 2. fig. 4.*

In Venezuelæ & in territorii Carthagenenſis fruticetis ſponte creſcit. In caldario Schönbrunnenſi floruit elegantiſſime ab initio Novembris ad Februarium usque, ut denuo vivam examinare licuerit, quare pauca quædam hic addam deſcriptioni antea in Stirpibus Americanis a me datæ, ſatis exactæ, brevi iconem plantæ florentis jam paratam editurus. Etiam apud nos flores omnes tetrandri ſunt; filamentis longitudine æqualibus, inſertis collo coarctato tubi corollæ; antheris albidis, etiam apice acutulis, polline autem explofo cum aliqua flavedine fuſceſcentibus. Staminum ergo numerus a Juſticiis avellit quidem, ſed habitus illam & fructificationis ſtructura reliqua cum iisdem conjungit. Baſis corollæ ventricoſa pallide flavet. Labii inferioris lacinia media non recta deorſum porrigitur, ſed ſic revolvitur. Germen inſidet glandulæ flavæ. Calyx glaber ex viridi pallet. Spica carnoſa eſt, uti in quibusdam Verbenis, vere tetragona, idque acutius, dum fructeſcit. Bracteæ ſunt ad ſingulos flores ternæ, longitudine calycis; quarum exterior eſt cordato-ovata, acuta, viridis, parum ciliata, appreſſa, in dorſo ad ipſam originem barbata lanugine alba; laterales duæ ſunt lineares, acutæ, pallidæ, oppoſitæ. Caulis pollicem & ultra craſſus, lignoſus, cinereus. Olim adduxeram tanquam ſynonymum Juſticiam aliquam Lœflingianam, etiam quatuor ſtaminibus inſtructam, quam nunc iterum, re maturius perpenſa, ob ſuas ſpicas teretes aliaque momenta ſeparo. Nec Linnæum juniorem citavi, qui ſuæ plantæ ſola duo ſtamina tribuit.

CCCLXXXI.

CCCLXXXI.

JUSTICIA BRACTEOLATA.

Creſcit ad Caracas in America. In noſtris caldariis floret maximam anni partem. Frutex humanæ altitudinis, erectus, ramoſus; trunco ramisque ſenioribus teretibus, glabris, cinereis; junioribus inæqualiter tetragonis, glabris, ad ipſos angulos ob ſparſa tubercula minima exaſperatis. Folia ſunt oppoſita, breviter petiolata, late lanceolata, utrinque acuta, integerrima vel leviter repanda, glabra, longiora ſemipedalia. Racemus terminalis, erectus, tandem quadriuncialis, compoſitus. Pedunculi partiales breves, ſparſi, tri - vel quadriflori; pedicellis propriis etiam brevibus. Bracteolæ ad pedunculos lanceolatæ, acutæ, erectæ, parvæ. Calyx viridis ad lentem villoſulus eſt. Corolla tota miniata, excepta faucis interna parte flavente. Ejus laciniæ obſolete hirtulæ ſunt, punctisque ad lentem adſperguntur albis, lacinia labii inferioris media excepta. Filamenta pallide flavent. Anthera in quolibet filamento unica purpuraſcit, ad latera hirſutula eſt, dorſo convexa & continua, antice longitudinaliter ſic fiſſa, ut propter adſcendens ad apicem usque filamentum credi duplex poſſet. Bracteola appendiculæ filamenti loſea eſt. Stylus ſuperne miniatus. Stigma nigreſcit.

CAL. Perianthium quinquepartitum, parvum, erectum, perſiſtens; laciniis lineari - lanceolatis, acutis, æqualibus; duabus utrinque lateralibus, quinta ad dorſum petali.

COR. monopetala. Tubus compreſſus, baſi antice gibboſus extraque calycem prominens, eodem triplo longior. Faux infundibuliformis, compreſſa & ſulco longitudinali introtruſa, incurvata, tubi longitudine. Limbus bilabiatus, fauce longior. Labium ſuperius oblongum, latum, connivens, fere ſemibifidum, retrorſum ſemireflexum: laciniis ſemiovatis, acutis. Labii inferioris tripartiti laciniæ lineari-lanceolatæ, acutulæ, patentiſſimæ, longitudine labii ſuperioris.

STAM. Filamenta duo, filiformia, erecta, dorſo tubi corollæ adnata, longitudine faucis, circa medium introrſum bifida ſive appendicula aucta breviore & gerente, loco antheræ, bracteolam ovatam & acutam. Antheræ oblongæ, ex ortu incumbentes, ſitu erectæ.

PIST. Germen ovatum, obtuſum, compreſſum, longitudine calycis. Stylus filiformis, erectus, longitudine inciſuræ labii ſuperioris corollæ. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. SEM. . . .

CCCLXXXII.

SOLANUM STELLATUM.

Patriam ignoro. Colitur apud nos in caldariis. Frutex humanam altitudinem ſuperans, ſempervirens, debilis, ſcandens, totus glaber & inermis; caulibus pluribus, calamum vel digitum craſſis, fuſcis, ex radice pugnum craſſa fuſcaque ortis; ramis numeroſis, teretibus, divaricatis. Folia ſunt alterna, lanceolata vel ovato-lanceolata, acuminata, integerrima, breviter petiolata, læte virentia, a duabus ad quatuor uncias longa.

Pe-

Pedunculi uniflori, axillares, plerumque gemini, nonnunquam terni vel ſolitarii, graciles. Flos elegans, inodorus. Calyx parvus, obtuſus & inæqualiter multiſectus viret. Corolla ampla, patentiſſima, tenuiſſima, rotundata & cærulea inſignitur ſtella quinqueradiata, rigidula, ſubtus virente & protuberante, ultra corollæ limbum apicibus acutis porrecta; quæ omnino mentitur calycem vel corollam exteriorem. Antheræ luteæ. Stylus viridis. Stigma capitatum, bifidum. Bacca globoſa, piſi magnitudine, ad maturitatem perfectam non pervenit.

CCCLXXXIII.

GLADIOLUS TENELLUS.

Ad Promontorium bonæ Spei creſcit, florens apud nos Novembri. Totus glaber eſt. Bulbus alter alteri impoſitus, avellana minor, reticulata tunica veſtitus. Folium radicale unicum, lineare, baſi vaginans, acutum, convolutum, erectiuſculum, longitudine caulis. Alia folia duo caulina, alterna, inferne vaginantia, priori ſimillima, ſed ſucceſſive breviora. Caulis ſemipedalis, gracilis, debilis, ſubflexuoſus, ad folia geniculatus, ſupra folium ſummum declinatus, biflorus. Flos inodorus, ſeſcuncialis. Spatha diphylla, viridis, ex foliolis lineari-lanceolatis, acutis, concavis, erectis, ſubæqualibus, longitudine faucis corollæ. Petali ochroleuci tubus incurvus, deſinens in faucem infundibuliformem limbumque ſexfidum & ſubringentem; laciniis lanceolatis, planis, obtuſulis, ſubæqualibus; quarum tres ſuperiores magis connivent, foris magis ſordide ochroleucæ cum linea longitudinali media ſordide violacea. Laciniæ duæ patulæ ad faucem interne ſunt punctatæ. Filamenta tria alba adſcendunt ad

la-

lacinias corollæ conniventes, longitudine faucis. Antheræ ſunt lineares & ſordide violaceæ. Stigma album, trifidum; laciniis linearibus, apice dilatatis. Germen oblongum, teres, viride, inferum.

CCCLXXXIV.

GLADIOLUS UNDULATUS. *Linn. ſyſt. pag.* 86. *Linn. mant. pag.* 27.

Pro varietate Gladioli auguſti celeberrimus Thunbergius habet. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Bulbus ovatus, funicatus, diſco orbiculari ſuperimpoſitus, magnitudine fere nucis juglandis. Caulis teres, erectus, flexuoſus, folioſus, pedalis, ſuperne ramoſus. Folia alterna, enſiformia, acuta, ſtriata, integerrima, erecta, baſi vaginantia, caule breviora. Spathæ bivalves, conniventes, acutæ, ex glauco virentes, exterior longior & biuncialis. Flores alterni, ſeſſiles, inodori, ſecundi, erectiuſculi, plusquam triunciales. Corollæ tubus anguſtus, compreſſus, pallidus, uncialis. Limbus infundibuliformis, ſexfidus, ex ochroleuco pallens; laciniis longe lanceolatis, acutis, undulatis, erectiuſculis, dorſo linea longitudinali purpurea percurſis; tribus ſuperioribus fere duplo longioribus. Filamenta tria, ſubulata, diſtincta, purpuraſcentia, ad dorſum petali poſita, quo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes, violaceæ. Germen viride, ſuperum, oblongum, nitidum, triſulcatum. Stylus ſubulatus, albus, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, patens; laciniis linearibus.

CCCXXXV.

CCCLXXXV.

GLADIOLUS WATSONIUS. *Thunb. diff. pag.* 14.

Ad latera montium in Promontorio bonæ Spei crescit. Apud nos floret primo vere & autumno. Totus glaber & sesquipedalis. Bulbus ovatus, avellanam majorem æquans, tunica reticulata fusca vestitus. Caulis teres, gracilis, totus vaginatus, erectus; hinc nudus & horizontaliter inflexus. Folia tria vel quatuor, lanceolato-linearia, acuta, erecta, caule longiora, cum nervo medio utrinque protuberante, cumque oris revolutis. Spathæ virides, conniventes, acutæ, biunciales. Flores successive pauci ex elongata caulis extremitate prodeunt, alterni, inodori, tres quatuorve uncias longi. Corollæ tubus albet; limbus est magis minusve saturate miniatus. Filamenta & stylus albent. Antheræ ex fusco cærulescunt. Germen viret.

CAL. Spatha bivalvis, inæqualis.

COR. monopetala. Tubus gracilis, cylindricus. Faux longe infundibuliformis, compressa, incurva. Limbus sexfidus; laciniis lanceolatis, acuminatis, planis, longitudine faucis; quarum tres superiores paulo longiores, harumque media reliquis duplo latior & erectior est.

STAM. Filamenta tria, subulata, erecta, sub lacinia petali latiore sita. Antheræ lineares, incumbentes.

PIST. Germen inferum, oblongum. Stylus filiformis, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma trifidum; laciniis linearibus, obtuſis, capitatis.

PER. . . .

CCCLXXXVI.

GLADIOLUS SULPHUREUS.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine, tunica ſtriata fuſca tectus, fibris craſſis radicatus. Folia enſiformia, acuta, erecta, quatuor vel quinque uncias longa, utrinque & ad oras villoſa, mollia, plicatula, nervoſa; vaginis ancipitibus, villoſis, infimis purpuraſcentibus. Scapus teres, una cum floribus pedalis, villoſus, ad exortum ex ſummi folii vagina horizontaliter declinatus. Flores ſeſſiles, alterni, ſecundi, plus minus ſeptem, erecti, biunciales. Spathæ trivalves, lanceolatæ, acutæ, concavæ, villoſæ; extima valvula duplo reliquis longiore. Petali tubus, incurvus, violaceus. Limbi infundibuliformi - campanulati & ſexfidi laciniæ longe lanceolatæ, obtuſulæ, pallide ſulphureæ, ſubæquales; quarum tres alternæ ſæpius, nec ſemper, undulatæ. Antheræ ſaturate violaceæ. Stigmatis trifidi laciniæ pallide violaceæ & ad apicem dilatatæ.

CCCLXXXVII.

CCCLXXXVII.

BIGNONIA SEMPERVIRENS. *Linn. syst. pag.* 563.

Gelseminum ceu Jasminum luteum odoratum virginianum scandens sempervirens. *Catesb. car.* 1. *pag.* 53. *tab.* 53.

Syringa volubilis virginiana, myrti majoris folio, alato semine, floribus odoratis, luteis. *Plukn. alm. pag.* 359. *tab.* 112. *fig.* 5.

Sponte crescit in Virginia. In caldariis nostris floret æstate. Caulis fruticosus, scandens, ramosus. Folia opposita, lanceolata, glabra, acuta, petiolata, integerrima, duas tresve uncias longa. Flores axillares, oppositi, breviter petiolati, suaveolentes, glabri, biunciales; calyce virente; corolla & antheris luteis; filamentis & stylo albis; fructibus suscescentibus, glabris, vix uncialibus.

CAL. Perianthium pentaphyllum, breve, persistens; foliolis lanceolatis, acutis, concavis, erectis, inæqualibus.

COR. monopetala, infundibuliformis, obscure bilabiatus. Tubus cylindricus & longitudine calycis paulatim ampliatur in faucem quinquangularem. Limbus patentissimus, quinquefidus: laciniis oblongis, obtusis, planis, subæqualibus, longitudine faucis.

STAM. Filamenta quinque, subulata, erecta, tubo corollæ per totam longitudinem accreta, fauce breviora, ante lacinias petali posita, longitudine æqualia. Antheræ oblongæ, basi sagittatæ, erectæ.

PIST. Germen basi subrotundum, dein oblongum, compressulum & bisulcatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma bifidum.

PER. Siliqua ovalis, acuta, plano-compressa, glabra, bilocularis, quadrivalvis.

SEM. plurima, plana, punctata, utrinque in alam excurrentia, sed quarum altera ala breviſſima est, & sæpe vix ulla.

CCCLXXXVIII.

EPIDENDRUM ELONGATUM.

Ad Caracas in pascuis altissimo densoque gramine obsitis cespitose crescit; in caldariis nostris floret Februario & subsequis mensibus. Totum glabrum est. Radices plurimæ, longæ, albidæ, calamo triplo graciliores, etiam extra terram quædam ortæ, caules producunt plures erectos, tripedales & ultra, calamum crassos, teretes, sordide purpurascentes cum mixto virore, basi paucis vaginis albidis vestitos, hinc totos foliosos. Folia sunt oblonga, obtusa vel acutula, integerrima, avenia, rigida, crassa, coriacea, patentissima, triuncialia, orta ex vagina amplexicauli striata & ad proximum inferius folium pertingente, omnino plus minus viginti duo. Ultra folia caulis adhuc elongatur aphyllus, solisque brevibus & acutis spathis instructus, ad dimidium & ultra pedem, abitque in spicam triuncialem floribus sessilibus patulisque onustam, suffultis per proprias spathulas, totisque sordide miniatis, nectario minus saturate colorato. Stylus rubet. Nectarii discus albet. Stigma flavet. Sic etiam antheræ. Habitu conve-

venis cum Epidendro ſecundo, ſed floribus non ſecundis & ſtructura diverſis differt.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.

COR. Petala quinque, lanceolata, acuta, patula; quorum duo interiora baſi magis anguſtata.

Nectarii labium inferius triphyllum: foliolo medio bifido; hujus lobis & foliolis lateralibus æqualibus, inverſe deltoideis, ora ſuperiore ciliato-dentatis, planis, patentiſſimis, corolla paulo longioribus. Labium ſuperius nullum.

STAM. Filamenta duo, inſerta ſummæ parti ſtyli. Antheræ in quolibet filamento geminæ, obverſe ovatæ, compreſſo-planæ, reconditæ in cucullo ovato ſcarioſo & quadriloculari, incumbente ſtylo ad marginem ſtigmatis.

PIST. Germen inferum, teres, ſtriatulum, corolla longius. Stylus cylindricus. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula oblonga, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

CCCLXXXIX.

ZAMIA INTEGRIFOLIA. *Ait. kew. pag.* 478.

Zamia pumila. *Linn. ſyſt. pag.* 926. excluſis omnibus ſynonymis.

Creſcit in Florida orientali, inque Domingo. In caldariis noſtris florent plures individuæ plantæ tam diverſo tempore, ut hoc determinari

nequeat. Spadix fœmineus fere annum impendit ab ortu ad fructuum maturationem. Dioica eſt. Radix fuſca, pugnum & ultra craſſa, in crura plura ramoſa longaque dividitur; hinc aſſurgit in caput conicum, fuſcum, pugni vel & duplo majore tandem craſſitie, compoſitum ex ſquamis latis, acuminatis, ſæpe ora laceris. Folia ſunt plura, ſeſquipedalia & ultra, glabra, pinnata. Stipes teres, calamum fere craſſus, antice ſulcatus, inermis. Pinnæ utrinque ſeptem vel plures, alternæ, ſubſeſſiles, baſi cartilaginea ſtipiti affixæ, ſubcuneiformes, obtuſæ, coriaceæ, rigidulæ, ſubtiliſſime ſtriatulæ, ſuperne obſolete cartilagineo-ferrulatæ, cæterum integerrimæ, a quatuor ad ſex uncias longæ. Scapus in maribus unus alterve ex ſuperiore parte trunci, erectus, teres, ſericeo-villoſus, calamum craſſus, uncialis, ferrugineus, bracteis ſparſis patentibus rigidis craſſis villoſis oblongis acutisque veſtitus. Spadix duas tresve uncias longus, ſoris ferrugineus & tomentoſus. In fœminis ſcapus etiam unus altérve, biuncialis, digitum craſſus, bracteis deſtitutus, ferrugineus, ſericeo-villoſus. Spadix quatuor vel quinque uncias longus, ſeſcuncialis diametri, ferrugineus, mollis. Antheræ, pollen & germen ſunt alba. Drupa rubra cum pulpa pauca dulci. Nux albida.

Mas.

CAL. Spadix oblongus, teres, ſimplex; compoſitus ex ſcutis late ſubrotundis, numeroſis, pedicello incraſſato horizontaliter ſpadici denſe affixis, ſubtus concavis, ad oras valde incraſſatis, ſubtus utrinque antheriferis.

COR. nulla.

STAM.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ ſubrotundæ, ſeſſiles, aggregatæ, numeroſæ, uniloculares, perpendiculariter bivalves, perſiſtentes. Pollen minutiſſimum, ſubrotundum.

Fœmina.

CAL. Spadix oblongus, acuminatus, ſimplex, teres; compoſitus ex ſcutis numeroſis (plerumque ex octo ſeriebus longitudinalibus) hexagonis cum diſco magis elevatulo etiam hexagono, horizontaliter ſpadici affixæ ope pedicelli craſſi & tetragoni.

COR. nulla.

PIST. Germina ovata, obtuſa, nitida, duo utrique lateri ſcuti ſubtus affixa. Stylus ſubulatus, erectus, breviſſimus. Stigma ſimplex.

PER. Drupa ovata, obtuſa, a compreſſione vicinorum angulata, nitida.

SEM. Nux ovata, obtuſa, unilocularis, nucleo fœta ſimili.

REC. Spadix ovatus, ſcutis patulis.

CCCXC.

ZAMIA ANGUSTIFOLIA.

Semina ex inſulis Bahamenſibus transmiſſa fuerunt, ex quibus enatæ numeroſæ plantæ, quarto ætatis anno jam flores fructumque dederunt, aliæ mere fœmineæ, aliæ maſculinæ. Radix fuſiformis, ſemipedem longa, uncialis & ultra diametri fibris craſſis fragilibusque aucta, ſuperne abit in caput conicum, duas tresve uncias altum, ſeptimo ætatis anno pugnum craſſitie jam æquans, ſquamis latis acuminatis imbricatis erectis villoſisque veſtitum. Novella folia, filicum more, ſubulam apice incurvatam referunt, ferrugineam & ſcabriuſculam. Ipſa adulta folia ſunt tota glabra, niti-

da,

da, inermia, erectiuſcula, firma & abrupte pinnata. Stipes eſt teres, tantum antice ſuperne leviter ſulcatus, calamo duplo gracilior, inferne aphyllus, a dimidio ad quatuor pedes altus. Foliola utrinque a quatuor ad viginti, linearia, plus minus ſemipedalia, vix tres lineas lata, obtuſa, plerumque alterna, etiam oppoſita, plana, craſſula, patentiſſima, ſubtiliſſime ſtriatula, baſibus albidis dilatatis ſubſeſſilia, integerrima, ad lentem terminata apice tribus papillis cartilagineis inæquali. Scapus unus alterve ex ſummitate trunci egreditur, baſi ſtipatus ſquamis lineari - lanceolatis acuminatisque, teres, ruſus, aſper, erectus, quadriuncialis, terminatus in ſpadicem in maribus maſculinum, in fœminis fœmineum. Florendi tempus in caldariis noſtris non ſemper unum idemque eſt. Ut plurimum tamen ſpadices maſculini prodeunt menſe Octobri, lente increſcunt ad Majum vel Junium usque, quando ſecedentibus ab invicem ſcutis antheræ in conſpectum veniunt; nec ultra tunc menſem perſtant, quin marceſcant. Spadices fœminei etiam fere octo menſes exigunt, priusquam fructus matureſcant. Maturitas ſeceſſu & exſiccatione ſcutorum cognoſcitur, dum immaturus ſpadix ſemper clauſus eſt. Color totius fructificationis ut in præcedente Zamia integrifolia eſt; quin ipſa etiam ſtructura tam ſimilis, ut deſcriptionem ſuperfluam reddat. Diu fruſtra in antheris utriusque hujusce plantæ quæſiveram pollinem; nec deerat quærendi occaſio in tanto numero individuarum, toties florentium, quæ in horto Cæſareo Schönbrunnenſi coluntur. Tandem inveni, dum antheras examinabam, maturitati proximas quidem, ſed clauſas adhucdum, nec dehiſcentes. Vidi tunc, pollinem formare columnam, ex baſi antheræ aſſurgentem, & a parietibus ejusdem liberam, totamque hanc excidere ad antheram leviter motam. Suſpicor hinc, pollinem, quem vocat Linnæus in genere Cycas, eſſe veras antheras polline excuſſo deſtitutas. Nunc etiam lego in Horto kewenſi,

ſi, duas dari hujus generis ſpecies; ut monere debeam, in Actis Helveticis me loqui de *revoluta.*

CCCXCI.

IXIA BULBOCODIUM. *Linn. ſpec. plant. pag.* 51. *num.* 1. *Ait. kew.* 1. *pag.* 57.

Bulbocodium crocifolium, flore magno albo fundo luteo. *Tourn. cor. pag.* 50.

Crocus vernus anguſtifolius quartus. *Cluſ. hiſt. pag.* 208.

Siſyrinchium aſprenſium, anguſto folio, alterum. *Col. ecphr.* 2. *pag.* 5. *tab.* 7. *fig.* 1.

Siſyrinchium minus anguſtifolium, flore majore variegato. *Bauh. pin. pag.* 41.

Autores, quos citavi, omnes loquuntur de planta europæa, in Italia creſcente. Detectam dein plantam capenſem, huic valde ſimilem, Linnæus vocavit in Syſtematis ſui editione tertia & decima Ixiam roſeam, ſeparavitque a priore. In decima quarta editione capenſem cum europæa conjunxit ceu meras varietates. Idem facit Thunbergius. At iterum in Horto kewenſi disjungit Aitonus, qui procul dubio vivam vidit utramque. Mihi capenſem videre haud contigit. Europæam, quam deſcribam, invenit expertiſſimus Nicolaus Hoſt, in collibus herbidis & aridis circa Flumen ad mare Adriaticum copioſe creſcentem, qui bulbos recentes benevole plurimos mecum communicavit. In loco natali floret Februario, & ad finem Martii fructum perficit. Bulbus ſubrotundus, bulbillo emarcido

ſuperimpoſitus, piſo duplo major, albus, tunica badia veſtitus. Folia tria vel quatuor, in florente planta viſa radicalia, in fructeſcentis elongato caule vere caulina, horizontaliter patentia, plus minus ſemipedalia, linearia, glabra, acutula, ſic antice marginibus ſuis per totam longitudinem conniventia arcte, ut folia mentiantur teretia compreſſula & multiſulcata. Caulis ſolitarius, erectus, uniflorus, biuncialis, ſupra ſummum folium hinc convexus, inde planus; in fructeſcente plantula paulo altior, in culta nonnunquam vel ſemipedalis. Spatha terminalis, bivalvis; foliolis anguſte lanceolatis, acutis, concavis, oppoſitis; altero erecto, viridi & fere longitudine corollæ; altero paulo breviori, dorſo virente, cæterum membranaceo & pellucido, patulo, unde flos evadit veluti lateralis. Flos inodorus. Corolla pallide violacea eſt, cum baſi utrinque lutea. Laciniæ exteriores foris plerumque magis flaveſcunt cum ſtriis fuſceſcentibus. Stamina lutea ſunt. Germen viret. Stylus & ſtigma pallide flavent. Capſula glabra & cineraſcens piſo major eſt. Semina nitida, fuſceſcentia.

CAL. Spatha bivalvis.

COR. monopetala, ſupera, campanulato - patens, profunde ſexpartita. Tubus infundibuliformis, brevis. Limbi laciniæ lanceolatæ, acutulæ, planæ; quarum tres exteriores paulo anguſtiores.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, erecta, brevia. Antheræ lineares, erectæ, longæ.

PIST. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus longior. Stigma trifidum; laciniis bifidis, linearibus, patentiſſimis, ſupra villoſulis.

PER.

PER. Capſula ſubrotunda, triquetra, obtuſa, trilocularis, trivalvis.
SEM. pluſcula, globoſa.

CCCXCII.

IXIA VILLOSA. *Ait. kew. pag.* 58.

Ex Promontorio bonæ Spei; apud nos floret autumno. Bulbus depreſſus, membrana ſtriata fuſca tectus. Folia pauca, enſiformia, acuta, ſtriata, nervoſa, utrinque & ad oras villoſa, ſubplicata, erecta, viridia, a tribus ad ſex uncias longa, baſi longe vaginantia & compreſſa, nervis a latere ſuperiori vaginæ ortis. Scapus teres, villoſus, declinatus, pauciflorus, longitudine foliorum. Flores ſeſſiles, alterni, ſecundi. Spathæ triphyllæ, virides, villoſæ, concavæ, acutæ; foliolo extimo longitudine tubi corollæ; reliquis duobus huic oppoſitis brevibusque. Corolla dilute violacea vel cæruleſcens & infundibuliformis. Tubus longitudine limbi, gracilis. Limbi laciniæ ſex, ſubæquales, late lanceolatæ, acutulæ, patulæ. Filamenta tria. Antheræ lineares, magnæ, erectæ, tubo corollæ paulo longiores, ſaturate violaceæ. Stigmatis trifidi laciniæ filiformes, apice dilatatæ, longitudine ſtaminum, corollæ concolores. Differt ceu varietas a planta kewenſi ſolo corollæ colore.

CCCXCIII.

IXIA RUBROCYANEA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Bulbus ovato - ſubrotundus, magnitudine avellanæ, veſtitus tunica fuſca ſtriata. Folia enſiformia, acutula, utrinque & ad oras villoſa, plicato - nervoſa, ex vaginis longis ſtriatulis & hirſutis orta, ſemipedalia cum vagina. Scapus foliis duplo brevior, declinatus, villoſus, plus minus quinqueflorus. Spathæ trivalves, villoſæ, virides; valvula extima duplo longiore reliquis. Flores ſeſſiles. Corollæ tubus pallide rubens. Limbi ſexfidi & patentiſſimi laciniæ lanceolatæ, acutæ, ſubæquales, baſi rubræ, cæterum ſaturate cyaneæ; ſimiliter etiam in dorſo ſed longe debilius coloratæ. Antheræ cyaneæ. Stigma trifidum, breve & pallens. Ab Ixia villoſa præter colorem differt limbo corollæ patentiſſimo inque ſtellam expanſo.

CCCXCIV.

IXIA PURPUREA.

In Promontorio bonæ Spei creſcit. Bulbus rotundato - ovatus, avellanæ magnitudine, tunica ſtriata fuſca circumdatus. Folia pluſcula, enſiformia, acuta, erecta, baſi longe vaginantia, utrinque & ad oras villoſa, nervoſa & plicatula, vagina glabra & ſtriata. Scapus villoſus, longitudine foliorum, pauciflorus, ſupra folia declinatus quidem ſed perparum. Spathæ trivalves, virides, concavæ, acutæ; exteriore valvula multo longiore. Flores alterni, ſeſſiles, erecti, ſæpe tres. Corollæ tubus pallide

pur-

purpuraſcens. Limbi ſexfidi & ſaturatiſſime purpurei laciniæ ſubæquales, lanceolatæ, acutæ, unicolores, patentiſſimæ, longitudine tubi. Filamenta tria, ſubulata, purpurea, limbo corollæ duplo breviora. Antheræ oblongæ, nigroviolaceæ. Germen hirſutum, viride. Stigma trifidum, corollæ concolor, laciniis apice lateſcentibus.

CCCXCV.

IXIA POLYSTACHYA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, tota glabra, florens apud nos Junio & Julio. Bulbus ſubrotundus, depreſſus, albus, dimidiam unciam diametro æquans, tunica reticulata fuſca tectus, prioris anni bulbo effœto impoſitus. Caulis ab uno ad duos cum dimidio pedes altus, erectus, debilis, teres, gracilis, foliorum ancipitibus vaginis maximam partem involutus. Folia caulina quatuor vel quinque, alterna, longe vaginantia ſive potius baſibus ſuis fiſſis amplexicaulia, erectiuſcula, anguſte enſiformia, acuta, rigidula, quinquenervia cum nervis incraſſatis, maxime medio & duobus extimis, qui ipſas formant folii oras, longiora plus minus ſemipedalia. In planta florente plerumque apud nos folia, jam veluti marceſcentia, ſtraminei ſuſceſcentis ſunt coloris cum nervis albis. Spica terminalis, & una alterave axillaris & pedunculata ex ſummis foliis, plus minus decemflora, ſecunda, erecta. Flores valde ſuaveolentes inſtar Convallariæ majalis. Corolla carnea, ad baſin rubra. Spatha bivalvis, parva, albida, membranacea, erecta, ad oras ariſtato-dentata. Tubus corollæ filiformis, longitudine ſpathæ. Limbi laciniæ ovatæ, obtuſæ, patentiſſimæ, tubo duplo longiores. Filamenta tria, libera, filiformia,

erecta. Antheræ ovatæ, conniventes, flavæ. Germen ovatum, triquetrum. Stylus ſuperne trifidus. Stigmata obtuſa.

CCCXCVI.

IXIA FENESTRATA.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei, apud nos floret Novembri, tota glabra. Folia enſiformia, diſticha, acuta, plus minus ſemipedalia, ſtriatula, baſi vaginantia, erectiuſcula, caulina ſumma breviora & ſeſſilia. Caulis teres, ad ſummum usque florem ſeſquipedalis, modo ſimpliciſſimus, modo ramulo auctus, inferne erectus, ſupra folia fere horizontaliter reflexus. Spica terminalis ex floribus ſeſſilibus, plus minus ſeptem, ſecundis, diſtantibus, ſpecioſis, inodoris, biuncialibus, ſine ulla macula uniformiter ſaturate miniatis. Germen inferum, viride, ovatum, trigonum. Corollæ tubus pallidus, gracilis, brevis. Limbi laciniæ ex ungue anguſto, & ad utrumque latus longitudinaliter hyalino ſive feneſtrato, tamen etiam hic miniato, abeunt in laminam amplam, rotundatam patulamque. Filamenta tria. Antheræ lineares, longæ, pallidæ, corolla duplo breviores. Stigma trifidum, lineare, croceum.

CCCXCVII.

GLADIOLUS TUBIFLORUS. *Linn. ſyſt. pag.* 87. *Linn. ſupplp. ag* 96. *Thunb. diſſ. pag.* 20. *tab.* 2. *Ait. kew. vol.* 1. *pag.* 63.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret Aprili. Bulbus ſubrotundus, depreſſulus, alteri bulbo impoſitus, tunica fuſca veſtitus. Folia radicalia plus minus ſena, lineari-enſiformia, acuta, utrinque & ad oras hirſuta, nervoſa, ſubplicata, erecta, a tribus ad novem uncias longa, integerrima, virentia; ſuffulta petiolo purpureo, glabriuſculo, ab una ad tres uncias longo. Scapus teres, villoſus, craſſulus, viridis, biuncialis, fere horizontaliter reclinatus, plus minus quinqueflorus. Spathæ trivalves, inæquales, convolutæ, acuminatæ, hirſutæ, virides, apice fuſcelcentes, exteriores plus minus unciales. Flores ſeſſiles, inodori, ſecundi, erectiuſculi, glabriuſculi. Corollæ tubus triuncialis, filiformis, inferne pallidus, dein aut carneus aut e violaceo vel ochroleuco pallens. Limbus parvus, infundibuliformis, ſexpartitus, coloris ſtraminei, ochroleuci aut carnei. Laciniæ longe lanceolatæ, acuminatæ, planæ; ſumma reſpectu tubi erecta & paulo latiore; reliquis ſupra medietatem patentiſſimis; atque harum tribus inferioribus inſignitis ad baſin lineola duplice rubra; & earumdem inſuper lateralibus duabus circa medium notatis macula bifurca rubra, nonnunquam abſente. Antheræ fuſcæ cum polline albido. Germen parvum, viride. Stigmata ſupra villoſa & pallida.

CCCXCVIII.

CCCXCVIII.

IRIS TRIPETALA. *Linn. ſyſt. pag.* 89. *Thunb. diſſ. pag.* 5.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos floret Septembri & Octobri ſub dio, hyeme tegenda vitris & ſimo. Bulbus avellanæ magnitudine, ſubrotundus, tunica fuſca tectus. Folium radicale unicum (rarius duo) baſi vaginans, lineare, erectum, acutum, canaliculatum, integerrimum, plus minus novem uncias longum, glabrum, debile & hinc vento vel alia ratione facile in terram dejiciendum. Scapus ſimplex, erectus, longitudine folii, teres, gracilis, geniculatus; ad genicula veſtitus ſpathis conniventibus, acutis, virentibus & amplexantibus. Pedunculi terminales, terni, filiformes, ſeſcunciales, erecti, duo plerumque laterales ſteriles. Omnibus pedunculis communis eſt ſpatha exterior diphylla, viridis, complectens pedunculos omnes, acuta, erecta, pedunculorum longitudine. Centralis & unus lateralis includuntur præterea ſinguli ſpatha diphylla propria ſcarioſa & albida. Alter lateralis pedunculus ſpatha propria deſtituitur. Germen eſt oblongum, triquetrum & ſexſulcatum. Corolla & ſtigmata ex cæruleo purpuraſcunt. Petala tria exteriora ex ungue lineari canaliculato & ſuperne flavo barbatoque terminantur in laminam ovatam, acutam, planam, integerrimam & patentiſſimam. Petala interiora ſunt linearia, extus convexa, longitudine exteriorum, erecta, apice bifido acuto patuloque. Antheræ flavent. Stigmatis laciniæ ſunt petalis interioribus ſimiles, ſed modo breviſſimæ, modo fere ejusdem longitudinis. Petala interiora aut omnia, aut aliqua, vidi nonnunquam defeciſſe.

CCCXCIX.

CCCCXIX.

ANTHERICUM SUBTRIGYNUM.

Ex ſemine, transmiſſo ex Carolina ſine titulo, enata hæc unica planta fuit, quæ altero ætatis anno Junio floruit, ac hyeme ſubſequa periit. Radicem hinc ignoro. Caulis ſemipedalis, erectus, teres, ſupra folia ſquamis foliaceis ſparſis veſtitus. Folia caulina canaliculato-enſiformia, acuta, integerrima, anguſta, caule breviora, ſparſa. Racemus terminalis, erectus, in hac individua planta (forte ob ſummitatem marceſcentem) ſubrotundus, denſus. Bracteæ ad ſingulos pedunculos ſubrotundæ, concavæ, parvæ & ferrugineæ. Pedunculi numeroſi, uniflori, ſemunciales. Calyx nullus. Petala ſex, concava, pallide virentia. Antheræ pallidæ. Germen triquetrum, ſuperum, viride, acutum, attenuatum in tres ſtylos ſubulatos erectos & longitudine ſtaminum. Stigmata ſimplicia. Tota planta glabra eſt.

CCCC.

ALLIUM ILLYRICUM.

Circa Flumen in littorali auſtriaco ſponte & copioſe creſcens invenit expertiſſimus Nicolaus Hoſt, qui bulbos mecum communicavit. Sub dio apud nos floret Julio. Bulbus ſubrotundus, ſemuncialis diametri, albus, tunica fuſca tectus, bulbillis undique cinctus, fibrisque craſſis jubatus. Folia omnia vere radicalia, baſi mutuo amplexantia purpureaque, dein haud longe canaliculata, cæterum plana cum dorſo leviter carinato, ſub-

linearia, acuta, plus minus pedalia, craſſula, flaccidula. Scapus unus alterve, erectus, foliis ut plurimum longior, inferne obſcure angulatus, cæterum teres, calamo gracilior. Spatha membranacea, albida, in duas tresve ſecedens valvas ovatas acuminatasque. Flores numeroſi, pedicellis uncialibus erectisque ſuffulti, umbellam formant faſtigiatam, nec bulbiferam. Petala ſunt lanceolata, acuta, integerrima, fere ſemuncialia, patula, roſea aut carnea, dein marceſcendo ſaturatius colorata. Filamenta ſubulata, ipſa baſi lateſcentia, alba, petalis paulo breviora. Antheræ flavæ. Germen rotundatum, triquetrum, viride. Stylus craſſus, albus. Capſula ovata, pallide fuſceſcens, polyſperma. Totum glabrum odore cepæ pollet ſorti; & flores præterea quiddam ſuaveolentis habent.

IN-

INDEX

PLANTARUM HIC DESCRIPTARUM.

	Pag.
A.	
Acalypha alopecuroidea - -	196
Adiantum ſtriatum - - -	245
Allium illyricum - - -	273
Andropogon undatus - -	237
Anthericum latifolium - -	249
— — ſubtrigynum - -	273
Ariſtolochia barbata - -	221
Arum helleborifolium - -	217
B.	
Begonia dichotoma - -	250
Bignonia ſempervirens - -	259
Blechnum occidentale - -	228
Borago zeylanica - - -	269
C.	
Calendula arboreſcens - -	167
Cineraria lanata - - -	177
Citharexylum erectum - -	231
Cleome ſpinoſa - - -	216
Commelina longicaulis - -	234
— — mollis - - -	235
Creſcentia pinnata - - -	203
Cyperus diſtans - - -	189
— — longus - - -	191
— — tenuiflorus - -	190
D.	
Dorſtenia Contrajerva - -	200
E.	
Epidendrum cochleatum - -	214.
— — elongatum - -	260
Ernodea littoralis - -	236
Eugenia baruenſis - -	183
Euphorbia nudiflora - -	180.
— — picta - - -	178
— — punicea - - -	179
G.	
Geranium aſtragalifolium -	184
Gladiolus ſulphureus - -	258
— — tenellus - -	255
— — tubiflorus - -	271
— — undulatus - -	256
— — watſonius - -	257
Gronovia ſcandens - -	197
H.	
Hamellia chryſantha - -	204
Hedyſarum gyrans - -	181
Heliophila integrifolia - -	219
Hibiſcus domingenſis - -	213
Hyacinthus corymboſus - -	230

Pag.

J.

Iris tripetala - - - 272
Juſticia bracteolata - - - 253
— — pulcherrima - - 252
Ixia Bulbocodium - - - 265
— — feneſtrata - - 270
— — polyſtachya - - 269
— — purpurea - - 268
— — rubrocyanea - - —
— — villoſa - - - 267

L.

Lachenalia mediana - - 242
— — orchioides - - 241
— — orthopetala - - 240
— — pendula - - - 239
— — puſtulata - - 244
Leucojum ſtrumoſum - - 222
Limonia trifoliata - - - 176
Linum africanum - - - 218
Lobelia coronopifolia - - 221

M.

Moræa palmifolia - - - 192
— — virgata - - - 194
Morus mauritiana - - - 206

N.

Nectria minor - - - 172
— — ſpecioſa - - - 173

O.

Oenothera nocturna - - 205
Ornithogalum conicum - - 232
— — flaveſcens - - 233
— — miniatum - - —

Pag.

Oxalis hirta - - - 224
— — verſicolor - - 225

P.

Paſſiflora cuprea - - - 168
Pavonia urens - - - 171
Piper blandum - - - 211
— — cluſiæfolium - - 209
— — magnoliæfolium - - 210
— — ſtellatum - - 212
Plumbago roſea - - - 220
Polypodium Hippocrepis - 186
— — fraxinifolium - - 187
— — molle - - - 188
— — multifidum - - 187
— — trifoliatum - - 185

R.

Reſeda fruticuloſa - - 195

S.

Selago faſciculata - - 246
Solanum ſtellatum - - 254
Spananche paniculata - - 247
Spermacoce hirta - - 199
Spilanthus exaſperata - - 229

T.

Tradeſcantia multiflora - - 226

V.

Volkameria Kæmpferi - - 207

Z.

Zamia anguſtifolia - - 263
— — integrifolia - - 261

III.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
PLANTARUM RARIORUM.
DESCRIPTIONES
AD SPECIMINA SICCA FACTÆ.

Continuatio ad pag. 111. vol. 2. Collect.

Collectaneorum meorum volumen ſecundum & illuſtris Swartzii Nova Genera & Species plantarum eodem anno in publicum prodierunt, ut neuter citare alterum potuerit in iisdem plantis, & habeamus uterque jus equum in primam divulgationem. Modo autem ex Anglia nuntiatum mihi eſt, in ſequentibus nos ſtirpibus ſub diverſo nomine concurriſſe; ſcilicet *Aſplenium* meum *anthriſcifolium* eſſe Swartzii *Aſplenium pumilum*, *Acroſtichum* meum *longifolium* eſſe ejusdem *latifolium*, *Chionanthum caribæam* meam eſſe ejusdem *compactam*; quibus acquieſco. Dein *Eugeniam* meam *periplocæfoliam* eſſe ejusdem *Myrtum ſplendentem*, *Eugeniamque* meam *paniculatam* eſſe ejusdem *Myrtum acrem b.* At de hiſce judicabit ipſe Swartzius, dum illum monuero, certiſſime in utraque mea illa Eugenia corollam eſſe conſtanter *tetrapetalam* baccamque unilocularem & *monoſpermam*, quæ Myrtum negant.

XIV.

DIOSMA BIFIDA. *Tab.* 20. *fig.* 1.

Diosma foliis lanceolatis, imbricatis; pedunculis aggregatis, terminalibus; petalis bifidis.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Caulis fruticoſus. Rāmuli teretes, glabri, a foliis deciduis exaſperati. Folia ſparſa, imbricata, erecta, anguſte lanceolata, utrinque acuminata, breviſſime petiolata, integerrima, rigidula, glabra, in dorſo ad nervum punctata, ad oras cartilaginea deorſumque ſcabra, ibidemque uno ordine punctorum ad lucem pellucida, ſemuncialia. Ramuli breves in extremitatibus ramorum faſciculati foliisque denſis veſtiti emittunt ex centro ſinguli plurimos flores aggregatos pedunculisque propriis filiformibus fere longitudine foliorum donatos, unde omnes flores capitulum formant ſubrotundum biuncialis diametri, ſic denſum, ut ramuli & folia vix in conſpectum prodeant. Petala albent.

CAL. Perianthium pentaphyllum : foliolis oblongis, obtuſis, concavis, erectis.

COR. Petala quinque, calyce duplo longiora; ungue capillari, erecto, longitudine calycis; lamina bipartita, patentiſſima; laciniis linearilanceolatis, obtuſis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, petalis paulo breviora. Antheræ didymæ.

PIST.

PIST. Germen ſuperum, parvum, trilobum, obtuſum, in medio depreſſum; quolibet lobo emittente ex apice glandulam teretem obtuſam erectam & pilis paucis longisque hirſutam. Stylus ex centro germinis depreſſo filiformis, ſuperne incraſſatus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

PER. Capſula. . . .

SEM. . . .

In figura repræſentantur ramus florens, *a.* flos integer ad duplum auctus, *b.* multoties auctum piſtillum cum calyce, *c.* auctum folium.

XV.

XERANTHEMUM SQUAMOSUM. *Tab.* 20. *fig.* 2.

Xeranthemum ramis unifloris, inferne imbricatim folioſis, ſuperne denſe ſquamoſis.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Elegantiſſima Xeranthemi ſpecies, ſeſamoidi proxima, vere tamen diſtincta. Radix perennis, teres, digitum craſſa, fuſca, ſuperne horizontalis & ſuffruticoſum caulem referens, caules emittit plures, baſi adſcendentes, cæterum erectos, a dimidio ad integrum pedem altos, ſimplices vel ramis erectis auctos, plerumque unifloros, lanugine alba incanos, ad medietatem usque foliis veſtitos denſiſſime imbricatis, & hinc ad ſummitatem usque ſquamis. Folia ſunt ſparſa, uncialia, ſuperiora ſucceſſive breviora, ſeſſilia, integerrima, acuta, ex lata baſi linearia, dorſo glabra, facie lanuginoſa, erecta, conniventia ſic

ut

ut ſubulata videantur, numeroſiſſima. Loco foliorum ſuperne ſunt ſquamæ ovatæ, acuminatæ, ſcarioſæ, nitidæ, erectæ, foliis breviores, coloris ſtraminei; verſus florem magis denſæ, longiores, & tandem in calycem communem, valde polyphyllum, nitidiſſimum, eleganter roſeum cum ipſa baſi atrovirente, & diametri biuncialis expanſæ. Corollulæ flavæ. Receptaculum nudum. Pappus ſeſſilis, plumoſus.

XVI.

CHRYSOCOMA CUNEIFOLIA. *Tab. 22. fig. 2.*

Chryſocoma fruticoſa; foliis cuneiformibus, ſuperne pauciſerratis.

Ad fretum Magellanicum ſponte creſcit, ſine titulo communicata. Frutex totus glaber; ramis lignoſis, teretibus, fuſcis. Folia ſunt cuneiformia, breviſſime petiolata, alternatim ſparſa in ramulis junioribus, verſus apicem utrinque uno alterove dente inciſa, plus minus ſemuncialia. Pedunculi terminales, breviſſimi, modo ſolitarii, modo plures in capitulum denſe approximati, omnes pluribus foliolis floralibus ſive bracteis cuneiformibus obtuſis integerrimis terminati, in quorum medio flos ſeſſilis locatur. Perianthii polyphylli imbricati & ſubrotundi foliola ſunt lanceolata, acuta, concava, erecta & inæqualia. Corollulæ omnes hermaphroditæ, tubuloſæ, æquales, calyce paulo longiores, infundibuliformes; limbi quinquefidi laciniis lanceolatis, acutis & revolutis. Anthera tubuloſa longitudine corollularum. Stigma biſidum. Pappus piloſus, ſeſſilis, longitudine corollæ. Receptaculum nudum.

XVII.

XVII.

OSMUNDA TRIFIDA. *Tab.* 20. *fig.* 3.

Osmunda ſcapis radicatis; fronde ternata.

In Ceylona creſcit. Radix fuſca, horizontalis, calamum craſſa, fibrisque perpendicularibus fuſcis jubata, emittit plures frondes ſcaposque. Frondis erectæ ſtipes eſt gracilis, fuſcus, villoſus, inferne paleis vagis veſtitus, plus minus quadriuncialis. Ipſa frons eſt ternata, ubique obtuſiſſima, obſolete crenulata & ad oras villoſula, coſta media ſubtus villoſa, cæterum utrinque glabra: foliolo intermedio oblongo, plus minus triunciali, per totam circumferentiam rotundate lobato; foliolis lateralibus ovatis, vix uncialibus, unico inferne lobulo ſive auricula auctis, cæterum integerrimis, breviſſime petiolatis. Scapus glaber, paleis vagis veſtitus, erectus, gracilis, fronde altior, deſinens in ſpicam ternatam; ſpiculis linearibus, modo integerrimis, modo plus minus inciſis, pedicellatis, glabris; intermedia biunciali & ultra, lateralibus multo brevioribus. Harum dorſum denſe occupant frutificationes minutiſſimæ, globoſæ, pedicellatæ, nitidæ, pellucidæ, verticaliter circumdatæ faſcia transverſe ex fuſco ſtriata, horizontaliter ſeſe aperientes; cujusmodi una ad lentem aucta ſub *a.* ſiſtitur.

XVIII.

OSMUNDA BIFURCATA. *Tab. 20. fig. 4.*

Osmunda ſcapis radicatis; fronde pinnata, pinnis bifidis, dichotomis ſimplicibusque.

Creſcit in inſula Sanctæ Helenæ. Ex radice fuſca ſquamata, fibris jubata & perenni plures attolluntur frondes, erectæ, glabræ, quatuor vel quinque uncias altæ, tenellæ. Stipes filiformis, nudus, nitidus, antice ſulcatus, fere duas tertias frondis facit. Summa ejus pars eſt pinnata, circumſcriptione oblonga; pinnulis linearibus, alternis vel oppoſitis, bifidis ſive furcatis, longioribus vix ſemuncialibus, ſummis breviſſimis, intermediis bis bifidis ſive dichotomis. Scapi ex eadem radice plures, frondium altitudine, ſtipiti ſimillimi, erecti, ſuperne pinnati ex ſpiculis minutis, alternis vel oppoſitis, infimis trilobatis, ſubſequis bilobatis, ſummis integerrimis, obtuſis, in dorſo denſe gerentibus fructificationes ſubrotundas & pedicellatas, adeo ſimiles illis Osmundæ trifidæ, modo deſcriptæ, ut diſtingui ab invicem nequeant. An non *Filicula corniculata inſulæ Helenæ* Plukenetii potius ad hanc pertineat, quam ad *Adiantum furcatum* Linnæi, cui frons tribuitur bipedalis?

XIX.

XIX.

POLYPODIUM PHYLLITIDIS.

Polypodium frondibus lineari - lanceolatis, glabris, integerrimis; fructificationibus ſparſis. *Linn. ſyſt. pag.* 934.

Polypodium linguæ cervinæ folio, majus. *Plum. amer. pag.* 26. *tab.* 38.

Lingua cervina, longis anguſtis & undulatis foliis, major. *Plum. fil. pag.* 114. *tab.* 130.

Phyllitis arboribus innaſcens, folio non ſinuato tenuiori, rotundis pulverulentis maculis averſa parte punctato. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *pag.* 72.

Phyllitis folio longo & marginato. *Petiv. pter. tab.* 6. *fig.* 10.

Ex magis obviis filicibus eſt in omnibus Antillis, inſulis Bahamenſibus, & Continente vicina, paraſitica arborum in denſis vaſtisque ſylvis montanis. Radix digitum craſſa, ſquamoſa, ſemipedalis & nigricans fibras undique emittit numeroſiſſimas & cum quodam rubore fuſcas. Frondes plures glaberrimæ, nitidæ, breviter ſtipitatæ, paleis deſtitutæ, lineari - lanceolatæ, baſi acuminatæ, apice acutæ, rarius obtuſiſſimæ, integerrimæ vel obiter repandæ, tenuiſſimæ, cum oris incraſſatulis, magis minusve undulatæ, læte virentes, nervo ſubtus prominente & ſupra ferme plano, ex hoc numeroſis venis oblique transverſis notatæ, quarum quælibet vicinæ duæ per plurimas lineolas perpendiculares in totidem areolas ſecantur, unum cum dimidio vel duos pedes longæ, ſeſquiunciam duasve uncias latæ. In qualibet areola duæ locantur fructificationes ferrugineæ, ſubrotundæ, ex minutis globulis conſtantes; in areola autem, nervo medio proxima, locatur tantum unica; ſic ut inter quaslibet venas vicinas conſpiciantur duæ paral-

lelæ ſeries. Eo majores fructificationes ſunt, quo nervo medio propiores. In antica frondis facie fructificationes maculas viridiores formant.

XX.

POLYPODIUM TRIPHYLLUM. *Tab. 22. fig. 1.*

Polypodium frondibus pinnatis; pinnis tribus, alternis, linearibus.

Creſcit in Ceylona & Java. Maxima illi affinitas eſt cum Polypodio phymatode, a quo differt frondibus neutiquam ſimplicibus, quales in phymatode deſcriptiones & figuræ autorum monſtrant, ſed veriſſime pinnatis. Ex eadem radice plures frondes eriguntur erectæ, glabræ, ſtipite nudo & plus minus quadriunciali, compoſitæ ex pinnis tribus, erectis, linearibus, repandulis, ad oras incraſſatulis, obtuſis, quatuor circiter lineas latis, media ſemipedali, lateralibus duplo brevioribus, percurſis nervo medio ſubtus protuberante & flexuoſo, decurrentibus; axilla formata ex ſinu obtuſo. Fructificationes ovales & ſubalternantes dorſum pinnarum occupant utrinque ad nervum in unica ſerie, conſtantes ex minutiſſimis globulis obverſe ovatis vix pedicellatis & ferrugineis, in pagina ſic ibidem intropulſæ, ut in antica facie puſtulæ inde exſurgant elevatæ.

XXI.

POLYPODIUM SURINAMENSE. *Tab.* 21. *fig.* 4.

Polypodium fronde lineari, remote ſerrulata, glabra; fructificationibus ſolitariis.

In territorio Surinamenſi creſcit. Frons ſimpliciſſima, ſemipedalis, glabra, rigidula, linearis, obtuſa cum parvo acumine, verſus baſin anguſtata, remote ſerrulata, ſulta ſtipite unciali nudo & ad ortum incraſſato, percurſa nervo medio ſubtus protuberante, quatuor plus minus lineas lata. Supremam partem dorſi occupant fructificationes magnæ, ovales, ferrugineæ, utrinque ad nervum in una ſerie, in antica frondis facie protuberantes, pulvinatæ, conſtantes ex minutis globulis obverſe ovatis & pedicellatis.

XXII.

TRICHOMANES TAMARISCIFORME. *Tab.* 21. *fig.* 2.

Trichomanes fronde bipinnata; pinnulis pinnatifide lobatis; coſta piloſa.

Sponte creſcit in inſula Borboniæ. Frons bipinnata, elegans, plus minus novemuncialis; ſtipite tereti, aſperiuſculo, brevi, non piloſo; coſta piloſa; pinnis glabris, infimis oppoſitis, reliquis alternis, longioribus duas cum dimidia uncias longis, exterioribus utrinque decreſcentibus. Pinnulæ ſunt pinnatifide lobatæ, obtuſæ, ad lentem venis numeroſis reticulatæ cum ner-

vo decurrente medio; lobulis oblongis. Pinnulæ fructigeræ ut plurimum unicam (raro duas) fructificationem gerunt, infundibuliformem, erectam, ſeſſilem, ex medio diſco convexulo emittentem ſetam erectam. Oritur hæc fructificatio ex nervo medio producto lobuli infimi lateris ſuperioris pinnularum.

XXIII.

ADIANTUM BORBONICUM. *Tab.* 21. *fig.* 1.

Adiantum frondibus bipinnatis, glabris; pinnulis oblongis, infima ſuperiore bipartita, reliquis integerrimis.

Creſcit in inſula Borboniæ. Totum glabrum. Stipes duas tresve uncias longus, nudus. Frons ſemipedalis, vix ſeſcunciam lata, utrinque latitudine decreſcens, bipinnata. Pinnæ infimæ oppoſitæ, reliquæ alternæ, ad angulum acutum patulæ, plus minus unciales, breviter petiolatæ. Pinnulæ oblongæ, obtuſæ, integerrimæ, alternæ vel oppoſitæ, ſeſſiles, ad proximam pinnulam ſingulæ decurrentes; infima qualibet in pinnæ ſuperiore latere bipartita, in infima pinna etiam quadripartita. Plurimæ pinnulæ in ora ſua ſuperiore infra apicem unicam fructificationem gerunt oblongam, fuſcam, dorſum verſus magis vergentem, conſtantem ex globulis minutiſſimis, pedicellatis, ejusdem plane ſtructura & colore uti in Osmundis trifida & bifurcata.

XXIV.

XXIV.

ADIANTUM TENELLUM. *Tab. 21. fig. 3.*

Adiantum frondibus bipinnatis; pinnulis lobatis, lobis oblongis.

Crescit in insula Borboniæ. Ex radice filiformi, ramosa, repente, fusca fibrillisque jubata, in decursu & ad varias distantias plures eriguntur frondes, Trichomani pyxidifero similes, sed breviores, scilicet duas tantum, raro tres, uncias altæ, erectæ, glabræ, stipite plus minus unciali fultæ, per cujus utrumque latus, uti & per latera totius costæ, frons decurrit. Pinnæ sunt alternæ, longiores semunciales. Pinnulæ confluentes, partitæ in quatuor, tres, duosve lobos oblongos & obtusos. Ex costa principe fusca ad apices usque loborum propagantur nervi medii. In specimenibus meis fructificationes, solarum pinnarum aliquot superiorum omnes lobos, occupant, eorundem supremam partem dorsalem occupantes, subovatæ, pulvinatæ, & sine globulis ad lentem muricatæ, uti facies inferior hydnorum.

XXV.

BROWNEA GRANDICEPS. *Tab. 22. fig. a - i.*

Plures hujusce generis sunt species, quæ omnes in Venezuela crescunt, ex quibus quatuor in caldariis Schönbrunnenfibus coluntur, foliis quidem onustæ vegetis, sed in ramis producendis valde tardæ, ut forte diu flores frustra exspectaturi simus. Nunc persuasus sum, Lœflingianam plan-

tam

tam a coccinea mea esse specie etiam distinctam, utramque iterum distinctam a quatuor illis Schönbrunnensibus. In his, quod & in solo natali evenit, folia novella, jam expansa & grandiuscula, singulari spectaculo sunt flaccidissima & sic colorata, qualia folia esse solent in aqua decocta, quo in statu per plurimos dies perstant. Describam hic unam, ex omnibus elegantissimam, dictam incolis Hispanis *Rosa del monte*, circa Caracas in sylvaticis montanis crescentem. Arbuscula decempedalis, comosa, trunco erecto, cortice suscescente. Rami sunt molles, villoso - tomentosi, obsoletius quadrisulcati; qui transverse secti *a.* lignum cruciforme *b.* medullaque pauca farctum exhibent, quod a crasso cortice facile secedit. Folia *c.* sunt alterna, pinnata modo cum impari, plerumque sine impari; costa ab octo ad decem uncias longa, terete, antice sulcata, lanuginosa; foliolis utrinque plus minus octo, breviter petiolatis, modo omnibus oppositis, modo superioribus alternis, plus minus quadriuncialibus, infimis duplo brevioribus, oblongis, integerrimis, longe cuspidatis, firmulis, utrinque glabris excepto nervo dorsali medio villoso. Spica in ramis terminalis, solitaria, magnitudine capitis infantis, scilicet quinque uncias longa & diametri unciarum quatuor, hinc speciosissima, apice planiusculo, ad summum folium sessilis. Componitur ex bracteis imbricatis, sessilibus, acutis, sericeis; extimis *d.* amplis, subrotundis, & apice bifidis; quæ successive evadunt angustiores, tandem oblongæ *e.* In singularum ala flos *f.* locatur breviter pedunculatus & solitarius; qui ducenti & ultra in unica spica continentur. Calyx coriaceus, sericeus, uncialis. Corolla coccinea est.

CAL. Perianthium infundibuliformi - tubulosum, superne bifidum; laciniis late semiovatis, acutulis, concavis, erectis, tubo triplo brevioribus.

COR.

COR. duplex. Exterior monophylla, ſemiquinqueſida, calyce duplo longior; tubo cylindrico, erecto, longitudine calycis; limbi laciniis cuneiformibus, obtuſis, concavis, erectis, intima *g.* bracteæ ſuæ oppoſita duplo latiore reliquis. Interior Petala quinque, ſummæ parti tubi corollæ exterioris inſerta, lanceolata, obtuſa, in unguem longum baſi anguſtata, concava, erecta, calyce fere triplo longiora.

STAM. Filamenta undecim, ſubulata, erecta, longitudine corollæ, baſi breviter connata in unum corpus, quod inſeritur orificio tubi corollæ exterioris, ſine certo ordine alia aliis paulo breviora, in quibusdam ſæpe alternatim. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen *i.* lineari - oblongum, ſericeum, pedicello inſidens connato cum toto tubo *e.* petali exterioris. Stylus ſubulatus, erectus, corolla paulo longior. Stigma ſimplex.

PER. Legumen compreſſo - planum, uniloculare, bivalve.

SEM. pauca, compreſſo - plana.

INDEX

	Pag.
A.	
Adiantum borbonicum - -	286
— — tenellum - -	287
B.	
Brownea grandiceps - -	—
C.	
Chryſocoma cuneifolia - -	240
D.	
Diosma bifida - - -	278
O.	
Osmunda bifurcata - -	282
— — trifida - - -	281
P.	
Polypodium phyllitidis - -	283
— — ſurinamenſe - -	285
— — triphyllum - -	284
T.	
Trichomanes tamariſciforme -	285
X.	
Xeranthemum ſquamoſum -	279

IV.

NICOLAI HOST

MED. DOCTORIS

ENTOMOLOGICA.

I.

SCARABÆUS SACER. *Tab. 23. fig. 1. a. b.*

Scarabæus exſcutellatus niger clypeo ſexdentato; thorace inermi, crenulato.

Scarabæus exſcutellatus; clypeo ſexdentato, thorace inermi, crenulato; tibiis poſticis ciliatis; elytris lævibus. *Linn. ſyſt. nat.* 11. 545. 18. *Muſ. lud. ulr.* 13. *Amoen acad. 6. tab. 3. fig.* 170.

Scarabæus varioloſus exſcutellatus muticus; clypeo ſexdentato; thorace elytrisque nigris; punctis impreſſis varioloſis. *Fabric. mantiſſ. inſect. tom.* 1. 16. 161.

Clypeus magis vel minus porrectus, rotundatus, ſexdentatus: dentibus duobus primis majoribus, externe verſus baſin denticulatis, canaliculo a cantho oculi interno anteriora verſus recta decurrente, a reliquis ſeparatis.

Oculi dimidii ſupra, & dimidii infra clypeum. In fronte maris cornuum rudimenta, in aliis vix, in aliis penitus non viſibilia. Antennæ nigræ, piloſæ, clavatæ, capitulo articulato fuſco, vel luteo.

Thorax ſuborbiculatus, convexus, longitudinaliter obſolete canaliculatus, ciliatus.

Pedes omnes ciliati: tibiæ anticæ dentibus quinque validis armatæ; reliquæ quatuor quadridentatæ, dentibus tribus brevibus; terminali longiſſimo ſubarcuato; tarſi in pedibus primis nulli; in reliquis quatuor interne ad baſim dentis majoris oblique inſerti, quinque articulati, articulis verſus apicem aculeato-ciliatis.

Elytra uni dura, ſubmollia alteri: aliis penitus non ſulcata, aliis ſulcis aut obſoletis, aut manifeſtis, exarata: aliquibus, ſicut & thorax, foveolis varioloſis centro punctulo impreſſis, ut in *a.* aliquibus punctis excavatis, & elevatis minimis, at minus quam thorax, notata.

Magnitudine valde variat: dantur quatuordecim linearum; dantur duplo, & triplo minores.

Volvit globulos e ſtercore humano, & bovino confectos

a. Siſtit Scarabæum naturalis magnitudinis, & varioloſum. *b.* hoc triplo minorem, obſolete ſulcatum, punctatum: ad microſcopium auctum, ut puncta melius appareant.

Da-

Datur Scarabæus hic verno tempore, & ſub initium æſtatis, in locis ad litus maris adriatici ſitis, præſertim in viciniis Civitatis Flumen tanta copia, ut non duos vel tres, ſicut in Muſæis entomologicis, ſed in unica excurſione botanica, millenos videre mihi licuerit. Inveni plures varietates, has examinavi, & inter ſe, & cum Scarabæo ſacro, quem ex Gallia, Capite bonæ Spei, habeo, comparavi: obſervavi, dentes clypei, denticulos thoracis, differentiam ſpecificam legitimam præbere: ſulcos vero, variolas, puncta &c. res accidentales eſſe. Hinc Scarabæus varioloſus Fabricii tantum varietas ſacri eſt. Acquiſivi ab amicis entomologis Scarabæum laticollem; at is nulla nota ſpecifica a ſacro differt: cum tamen ignorem, an non Cel. Linnæus alterum pro laticolli denominaverit, nihil afferere audeo.

II.

CURCULIO MUTABILIS. *Tab.* 23. *fig.* 2. *a. b.*

Curculio longiroſtris muticus niger ſulphureo irroratus, elytris ad baſim apicemque impreſſione notatis.

Totus niger ſulphureo polline variegatus. Caput fronte foveola, gula canaliculo impreſſum. Roſtrum obſolete tetragonum, arcuatum, latere ſulcatum, ſulcis ad extremitatem anticam canaliculi gulæ confluentibus. Oculi ovati, rufeſcentes. Antennæ corpore breviores, villoſæ, articuláto - clavatæ, apice acuminatæ: articulo primo longiori, cylindrico; reliquis brevibus, orbiculatis.

Thorax punctis innumeris excavatus, gibbus, antice attenuatus, poſtice dilatatus, tridentatus. Scutellum nullum, niſi thoracis dentem medium dicas.

Abdomen nigro - villoſum, ſegmentis duobus anticis foveola ovali ſæpius inſculptis. Pedes villis fuſcis, confertis, conſiti. Femora mutica verſus apicem incraſſata.

Elytra glabra, decem punctorum excavatorum ſeriebus ſtriata, ad baſim apicemque impreſſione notata. Alæ ſub elytris complicatæ hyalinæ, trinerviæ.

Magnitudo variis varia: dantur quinque linearum, ut *a.* dantur duplo, triplo minores. Roſtrum aliquibus magis rectum, craſſius, & brevius, aliis magis longum, & magis arcuatum.

Pollen diverſos diverſe variegat: dantur alii polline ita inſperſi, ut nec punctulum nigrum videre liceat, dantur alii polline vix flavicantes, alii penitus nigri. Sola ad baſim apicemque impreſſio conſtantiſſima eſt.

Inveni in montibus Auſtriæ, Pannoniæ, Dalmatiæ, menſe Junio & Julio in diverſis Cardui ſpeciebus, quorum flores devaſtat.

a. Repræſentat Curculionem majorem totum polline inſperſum: *b.* hoc duplo minorem, ad microſcopium auctum.

III.

III.

CURCULIO CARDINIGER. *Tab. 23. fig. 3. a. b. c.*

Curculio breviroſtris muticus niger tuberculatus, ovulis albicantibus variegatus, tibiis quatuor anticis dentatis, dentibus aculeatis.

Niger tuberculatus, corpuſculis oviformibus albicantibus, partim perſiſtentibus, partim verſus ſenectam deciduis, inter tubercula decumbentibus, conſitus. Caput antice ſcabrum, poſtice læve. Roſtrum thorace brevius, apice barbatum, ſupra carina exigua notatum. Antennæ ſuſco-villoſæ, fractæ, articulo primo longiſſimo; reliquis breviſſimis, conicis, ultimo apice attenuato.

Thorax ovatus poſtice marginatus, tuberculis ſcaber.

Corpus oblongum. Elytra connata dorſo ſubplana tuberculato ſtriata.

Pedes pubeſcentes. Femora incraſſata, mutica, ruſa, baſi apiceque nigra. Tibiæ quatuor anticæ interne dentatæ; dentibus ſupra convexis ſubtus planis, aculeis parti inferiori verſus apicem inſidentibus, armatis.

Dentes aculeati ſat bene figuram cardinis referunt. Magnitudo eſt octo vel novem linearum.

Da-

Datur elytris magis gibbis, femoribus nigris, tibiis omnibus dentatis, ſed rariſſima varietas. Inveni in Rhamno Paliuro, Drypide ſpinoſa in viciniis Fluminis, ubi ſat copioſe tota æſtate videri poteſt.

a. Siſtit Curculionem naturalis magnitudinis. *b.* Fruſtulum elytrorum microſcopio valde auctum ut ovula facilius videantur. *c.* Fruſtulum tibiæ etiam auctum.

IV.

CURCULIO CORRUPTOR. *Tab. 23. fig. 4. a. b.*

Curculio breviroſtris femoribus dentatis niger ovulis cineraſcentibus variegatus: elytris rugoſo-ſtriatis, rugis tuberculatis.

Totum corpus nigro-tuberculatum, ovulis cineraſcentibus partim erectis, partim decumbentibus, verſus ſenectutem maxima parte deciduis variegatum. Roſtrum breve. Oculi ruſi. Antennæ fractæ, villoſæ, articulo primo longiſſimo nigro, reliquis brevibus fuſcis.

Thorax cylindricus, tuberculatus, poſtice marginatus.

Abdomen tuberculato-villoſum, nigrum. Pedes fuſco-villoſi. Femora dente acuto armata.

Elytra connata, gibba, ſubmollia, rugoſo-ſtriata, rugis bis, terve-tuberculatis. Magnitudo ſex linearum.

Ovu-

Ovula, quæ hunc & præcedentem variegant, acus apici ſat reſiſtunt.

a. Siſtit animal. *b.* Fruſtulum elytri ad microſcopium ſummopere auctum.

Inveni Menſe Junio, & Julio in vite viniſera in vineis circum Flumen ſitis. Rodit ſarmenta vitis, convolvit folia, & in convolutis ova deponit.

Vix inſectum aliquod ruſticis illis tam notum, & infenſum, ut curculio hic: omni poſſibili diligentia & animal & ova quærunt, vel contundendo, vel cremando deſtruunt; ſi ob majorem ejusdem copiam, quod ſæpius fit, familiæ manus ad hoc præſtandum non ſufficiunt, operarios convocant, ut unitis manibus infeſtum animalculum & in imagine, & in ovo, antequam nocere valeat, deſtruatur, ſicque periculoſa ejus propagatio impediatur. Nam propria experientia confirmata traditione parentum noverunt, quod ſi plures hujus ſpeciei curculiones vitem juniorem infeſtent, ea vel primo anno atrophia conſumpta pereat, vel ſi in vita ſupermanet, per tres quatuorve annos, quin fructum ferat, langueat, antequam deperditam poſſit acquirere ſalutem. Credunt, eum rodendo veneficum e roſtro ſuccum emittere, quo ſuccus vitalis vitis corrumpitur; hinc vernacula lingua Corruptorem vocant, hanc denominationem & ego retinui.

V.

ELATER MORDELLOIDES. *Tab. 23. fig. 5. a. b. c.*

Elater minutus nigro - villoſus, elytris faſcia flava.

Magnitudo vix dupla pediculi. Totus niger, punctulis innumeris villiferis inſperſus. Caput, ut in Bupreſtide retuſum, retractile. Palpi quatuor villoſi: anteriores quadriarticulati; poſteriores triarticulati: articulo baſeos in anterioribus, & poſterioribus vix viſibili. Antennæ corpore breviores nigræ, pubeſcentes, ſerratæ: articulo primo longiori ſubarcuato; ſecundo & tertio cylindrico, ultimo & penultimis ovato.

Thorax marginatus, poſtice utrinque dentatus. Subtus inter thoracem & pectus interſtitium laterale pro abſcondendis antennis: in margine poſtico ſulcus pro recipiendis pedibus anticis. Scutellum minimum.

Pedes omnes abdomini inſerti, nigri. Femora baſi rufa; antica quatuor pedicellata, poſtica duo ſubſeſſilia.

Abdomen ſulcis utrinque inter ſegmenta duobus, pro recipiendis pedibus quatuor poſticis.

Elytra nigra, marginata, verſus baſim faſcia obliqua flava notata. Alæ hyalinæ.

In-

Inveni ſeri Autumni, & hyemis tempore in Caldariis horti botanici Vindobonenſis: vagatur ibi per exoticas plantas, quarum folia mordellæ more, morditat.

a. b. Siſtit elaterem valde auctum, dorſo & facie viſum, *c.* eundem naturalis magnitudinis.

VI.

CARABUS PILOSUS. *Tab. 23. fig. 6.*

Carabus æneus, piloſus, antennarum articulis villoſis, apice piloſo-ciliatis, elytrorum lineis alternis foveolis impreſſis.

Totus æneus pilis raris, fuſcis, rigidiuſculis pubeſcens. Caput rugoſum. Oculi rufeſcentes. Antennæ nigræ, baſi rufæ, villoſæ, articulis apice piloſo-ciliatis.

Thorax marginatus, cordatus, poſtice attenuatus, longitudinaliter ter ſulcatus.

Abdominis obſcure ænei ſegmenta punctis impreſſis piliferis, notata. Elytra apice rugoſa, lineis longitudinalibus exarata, quarum alternæ foveolis quatuor, vel quinque excavatæ. Alæ nullæ. Femora nigra, baſi rufa, punctato-piloſa, verſus apicem incraſſata. Tibiæ rufæ, apice nigræ, aculeis ſparſis armatæ. Tarſi articulis quinque nigris, baſi rufis, aculeis ſecundis aculeatis.

Magnitudo variat: ſed in plerisque, novem vel decem linearum. Inveni Menſe Junio & Julio in montibus, & alpibus Dalmatiæ, Auſtriæ.

VII.

TIPULA PARADOXA. *Tab. 23. fig. 7. a. b. c. d. e. f. g. h.*

Tipula nigra villoſa alis incumbentibus hyalinis, nigro-venoſis, margine ciliatis: antennarum articulo primo conico; ultimo ovato; reliquis cylindricis.

Magnitudo vix lineam pariſinam ſuperat. Os capitis elongati maxilla ſuperiore fornicata tectum. Palpi duo incurvi æquales, ſetis terminati. Proboſcis breviſſima recurvata. Frons fuſca eminentia biloba notata. Oculi nigri. Antennæ filiformes: articulo primo craſſiori conico; ultimo ovato, reliquis cylindricis.

Thorax gibbus. Haleteres duo laterales fuſci clavati. Scutellum parvum.

Abdomen nigrum, villoſum, acuminatum.

Pedes fuſci. Femora duo antica pedicellata, reliqua ſubſeſſilia. Tibiæ pilo terminatæ.

Tarſi articulis quinque, primo longiſſimo.

Alæ

Alæ incumbentes hyalinæ, nigro-venoſæ, margine ubique villis exiguis ciliatæ. Variat colore fuſco.

Pupa teres antice bicornis, ſupra eminentia gibba donata, apice acuminata.

Larva apoda, molliſſima, cylindrica, diaphana, ſubarticulata, capite nigro, apice biſido, cauda obtuſa.

Inveni ingenti copia in caldariis, & tepidariis Horti botanici vindobonenſis.

Larva vivit in caldariorum tanno, cujus ſubtiliori ſubſtantia veſcitur usque ad incrementi punctum, quo attacto ſuperficiem petit, in pupam mutatur. Dehiſcente dorſo pupa, exit imago. Tipula volitat per plantas, quarum folia pipit, donec accedente ſenecta alæ fiant corpori ſuſtinendo impares: petit tunc ſuperficiem externam vaſorum, tanni, aliorum corporum humidorum, ad quæ, emiſſo glutinoſo ſucco, ore abdominisque apice ſe affigit. Sic affixa, omnibus animalitatis ſignis privata aliam incipit vivere vitam.

Alæ, quæ prius incumbentes, expanduntur. Villi quibus tota pubeſcit, & in viva armato oculo vix viſibiles, ita extenduntur, ut nudo oculo videri facile poſſint, coloremque ita mutant, ut qui prius fuſci, candidi evadant: ſic fit, ut totum animal, excepto thoracis centro, abdominisque dorſo candicet. Corpus creſcit in duplum, volumine. Alæ dein, artusque contrahuntur, marceſcunt, decidunt. Obſervationes ul-

terius inſtituere non licuit. Sed quod prodigioſam moliatur hic mutationem natura, ſuſpicio, rationibus non deſtituta mihi eſt. At obſervandum eſt, experimenta omni parte perfecta inſtituenda ſunt, ut quid lateat, patefiat.

a. Siſtit tipulam ſummopere auctam, *b.* naturalis magnitudinis, *c.* eandem affixam, & mutatam, ad microſcopium auctam, *d.* in ſtatu naturali, *e.* pupam auctam, *f.* in ſtatu naturali, *g.* larvam auctam, ut inteſtinalis canalis, ſubtiliori ſubſtantia tanni turgidum appareat, *h.* larvam naturalem.

V.

V.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
CONVOLVULI ET IPOMOEÆ.

Character genericus Convolvuli & Ipomœæ poſt tot, quot ſubivit, mutationes, nedum certo ſtat pede. Omnes mecum facile conſentient Botanici, diſcrimen inter duo genera illa in corolla nec quæri poſſe, nec conſiſtere. Omnibus utriusque generis ſpeciebus eſt illa infundibuliformis, modo tamen ita patens, ut dicta a Linnæo campanulata ſit, modo ex adverſo ſic contracta, ut tubus inde oriatur cylindricus. Ab utroque hoc extremo ſic iterum declinant ſpecies aliæ, ut limites ſtabiliri nequeant. Nec ex calycibus aut ſtaminibus hic quidquam docemur. Germen etiam omnibus idem, & idem ſtylus eſt. In ſtigmate & capſulis notabilis occurrit diverſitas. Siſto igitur hic duas tabulas, quarum prima continet Convolvulos viginti, altera Ipomœas decem, quas omnes plantas vivas examinavi, notavique, nam plures adnotare neglexi. Prima columna ſive ſeries indicat nomen, altera ſtigmatis ſtructuram, tertia numerum loculamentorum capſulæ, quarta numerum ſeminum in quolibet loculamento, & tandem quinta numerum integrum ſeminum totius capſulæ.

TA-

TABULA PRIMA.

1	Conv. arvenſis -	bifidum in lacinias teretes longas	2	2	4
2	- ſepium -	bifidum in lacinias oblongas obtuſas	2	2	4
3	- farinoſus -	bifidum in lacinias filiformes -	4	1	4
4	- canarienſis	bifidum in lacinias filiformes obtuſas	-	-	-
5	- althæoides	bifidum in lacinias filiformes -	-	-	-
6	- ſiculus -	bifidum in lacinias filiformes -	2	2	4
7	- Cantabrica	bifidum in lacinias filiformes -	2	2	4
8	- floridus -	bifidum in lacinias filiformes -	1	1	1
9	- tricolor -	bifidum in lacinias filiformes -	2	2	4
10	- Cneorum -	bifidum in lacinias lineares -	-	-	-
11	- crenatus	bifidum in lacinias lineares -	2	2	4
12	- ſibiricus -	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
13	- carolinus -	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
14	- hederaceus	capitatum, trilobum, papilloſum	3	2	6
15	- Nil - -	capitatum, trilobum, papilloſum	3	2	6
16	- purpureus	capitatum, trilobum, papilloſum	3	2	6
17	- diſſectus -	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
18	- pentaphyll.	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
19	- braſilienſis	capitatum, didymum, papilloſum	-	-	-
20	- copticus -	capitatum, trilobum, papilloſum	2	2	4

TABULA SECUNDA.

1	Ipomœa	Quamoclit	capitatum, didymum, papilloſum	2	1	4
2	-	coccinea	capitatum, didymum, papilloſum	4	1	4
3	-	filiformis	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
4	-	repanda	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	2
5	-	triloba -	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
6	-	anguſtifol.	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
7	-	leucantha	capitatum, didymum, papilloſum	2	2	4
8	-	luteola	capitatum, didymum, papilloſum	-	-	-
9	-	carnea -	capitatum, quadrilobum, papilloſum	4	1	4
10	-	hederacea	capitatum, trilobum, papilloſum	3	2	6

Ex inſpectione utriusque tabulæ intelligimus, ad conſtituendum genus, nec loculamentorum capſulæ numerum, nec ſeminum, huc quidquam facere poſſe, niſi velimus in plura quam duo genera diſpeſcere. Si vero ſolum ſtigma admittimus, exſurget character certus nec fluxilitati obnoxius; ſic ut Convolvulus habeat ſtigma *bipartitum in lacinias lineares*, Ipomœa autem ſtigma *capitatum & papilloſum*, hoc eſt, minimis elongatis papillis undique muricatum. Poſſemus adhuc addere *lobatum* capitato, ſed

absque loborum enumeratione, quum lobatum quidem ſit ſemper, ſed reperiatur in ſpeciebus diverſis æque trilobum ac bilobum, quin imo jam occurrat exemplar quadrilobi. Sic tunc plures Convolvuli ad Ipomœas transmigrarent, ſcilicet ultimæ novem ſpecies tabulæ primæ. Magnum quoque adferret hic character commodum in determinandis ſpeciminibus exoticis ſiccis, flore ut plurimum, fructu raro prædits, in quibus judicium eſſet facile & promptum ex ſtigmate vel aridiſſimo, in plantis aliunde ex habitu florente cum certitudine aliqua mox dignoſcendis. Et vel icones aut deſcriptiones autorum ſæpe erunt adjumento in plantis nunquam viſis; ſic docebor ex Dillenio, Convolvulum panduratum; ex Horto malabarico, Convolvulos repentem, malabaricum & Pedem capræ ad Ipomœas pertinere.

CONTENTA IN HOC VOLUMINE.

I. Plantæ rariores Carinthiacæ - - - 3
II. Obſervationes botanicæ - - - 167
III. Deſcriptiones plantarum ad ſpecimina ſicca - - 277
IV. Entomologica - - - - 291
V. Convolvuli & Ipomœæ - - - 303

T. 1.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 1.
2.
3.

4.

Fig. 1.





T. 4.

a.



b.



Lichen lactuca p. 107

T. 5.

Fig. 1.



2.

3.

a.

a.

b.



T. 6.

Fig. 1.



Fig. 2.



T. 7.







Lichen speciosus p. 119

T. 8.

Lichen physodes p. 121

L. Acetabulum p. 125

T. 9.

L. quercifolium p. 127

T. 12.



Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

T. 11.

Fig. 1.

Fig. 2.

T. 12.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

T. 13.



Fig. 1.

Fig. 2.

T. 14.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

T. 15.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fucus fruticulosus p. 159

T. 16.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fucus crispatus p. 162

T. 17

Crescentia pinnata p. 203

T. 19.

Fig 2.

Fig 1.

Fig 3

Fig. 2.
279
Fig. 1.
278
281.
Fig. 3.
a.
c.
b.
Fig. 4.
282
a.

T. 21.

Fig. 1.
286

Fig. 2.
280

Fig. 4.
285

Fig. 3.
287

T. 22.

Fig. 1.
a.
b.
Fig. 2.
a.
b.
Fig 3.
a.
b.
c.
Fig. 4.
a.
b.
Fig. 5.
a.
b.
c.
Fig. 6.
Fig. 7.
a.
b.
c.
d.
e.
f.
g.
h.